3.aº.a?

23

G
679

PINACOTHECA
SIVE
ROMANA PICTVRA
ET
SCVLPTVRA.

PINACOTHECA

SIVE

ROMANA PICTVRA

ET

SCVLPTVRA,

LIBRI DVO

In quibus excellentes quædam, quà profanæ, quà ſacræ, quæ Romæ extant, Picturæ, ac Statuæ, Epigrammatis exornantur.

Acceſſit Odarum appendicula, ad Lyrici carminis libamentum.

AVCTORE

IOANNE MICHAELE SILOS

Bituntino.

ROMAE,

Ex Officina Philippi Mariæ Mancini 1673.

Superiorum Permiſſu.

CANDIDO LECTORI.

IN re tenui verſamur, Lector. E Romana hac Pinacotheca picturarum, vmbras, ac muta producimus in medium ſaxa, quæ Muſis afflata, licet epigrammatis loqui conentur; epigrammata ipſa dices leuiora vmbris; &, ſi acumina, atque argutias ſpectes,

marmore frigidiora. Debui nihilominus parere genio, qui, vt nunquam non ſibi lenocinatur; quod ſemel effudit, effudiſſe in lucem cupit. Quid? ſi Muſis ipſis hoc inſitum, vt; quamuis honeſtiſſimæ, quippè Virgines; non adeò ſui ſint receſſus ſtudioſæ, quin celebritatem, ac plauſus ament, Maronianæ Galateæ perſimiles:

Quæ fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.

Me verò iſtiuſmodi ſcriptionis nugæ acriter pulſabant, quòd non adeò viderentur Religioſo viro conſentaneæ, cui ſanctius inſtitutum, ac fructuoſior in aliorum commoda propoſita materia, ac ſeges eſt. Aduertebam profectò, hoc eſſe, aliò velificanti, in Nauſicaę, aut Calypſus ſinu, ac veluti in roſa cubare. Quid ſeueriori diſciplinæ cum Parnaſſi delicijs, ac vmbra? quid religioſæ pſalmodiæ cum Apollinis hymnis? Sunt quidem nobis Chori, ſed Caſtrorum. Simul canimus, ſimul in mundi illecebras, in infernos hoſtes, in noſmet ipſos

pugna-

pugnamus: vt expolire ad pſalterium arma videamur; ac modulationes, pſalmique ipſi litui ſint, tubæ, claſſica, ac triumphandis aduerſarijs tela. Itaque conſulendum nomini, famæque fuit: & quod in poſtremis typis meis, nempè in Collationibus Academicis feciſſe non piget; hoc ipſum optimum fore, nunc etiam mihi perſuaſi: nimirum vt, expoſitis luci publicæ hiſce lucubrationibus, diſſimulato interim nomine, intra velum laterem; contentus cum Aſpendio illo Citharædo, intus mihi ceciniſſe, & Muſis. Sunt quidem in manibus, meo nomine conſignata, alia eiuſmodi argumenti carmina: verùm cum illa euulgaui, ætatis ardor excuſare hanc ſtudiorum amœnitatem, ac neſcio quid Canicularis Muſæ poterat; nunc verò quãdo alius eſt mento color, alius eſſe, & ſtudijs, & menti calor debet, ablegataque à ſenio feſtiuitate, grauius ſapere. Cur autem in hoc veluti occaſu labentis æui plectra identidem Poetarum tractem, naturæ, vt innui, indoles eſt. In-

ſtillatus nempè à puero mihi quidam poeſeos guſtus, vt non tam ceciniſſe ad cunas dormienti communem in morem nutrix, quàm genialis quædam Muſa informaſſe aures, atque afflauiſſe ſuis numeris animum, mentemque videri poſſit: adoleuitque collactaneus hic lyræ genius; ac temperare ſubinde mihi nunquam potui, quin ſubceſiuis horis aliquid modularer, effunderetque inſitus ille calor ad Phæbi citharam, ac modos verſiculos ſuos. Præterea ſpiramentum aliquod à quotidianis, ac ſuccedentibus inuicem regularis Inſtituti occupationibus perneceſſarium omninò eſt: fatiſcere vim animi, atque abrumpi contentum diù arcum, ni interdum laxes, contingit. Et priſcis quidem Aſcetis, cùm fallendo tempori, tùm vt ab aſſidua contentione operum reſpirarent, id erat in more poſitum, vt ciſtulas, calatiſcos, atque id genus alia, leuioris nempe opificij lucubrarent: ceu monitum illud Coridonis apud Maronem documento adprobarent ſuo:

Quin

Quin tu aliquid ſaltem potiùs quorum indiget vſus,
Viminibus, mollique paras detexere iunco?

atque adeò neſcio, an verti vitio debeat, ſi viribus reparandis, peramœno hoc laxamenti genere, nempè poeticæ dictionis vſu erigere tantiſper, ac vegetare animum curem. Hæ ſportulæ, hi calathi mei ſunt; iſtiuſmodi ſcilicet Muſarum opificia. An quid honeſtius, ac pulchrius, caniſtros viminibus, ac iuncis texere, quàm ingenio carmina? Scio item grauiſſimos viros, ac ſanctimoniæ etiam laude conſpicuos non rarò figuris delineandis, ijſque auro, ac minio illuminandis vacaſſe; ne quid ſcilicet temporis deſidia ſibi, atque ignauum otium, ſurriperet. Cur igitur non ipſe Diuorum iconas, ac magnarum animarum effigies auro poeſeos, ac Muſarum minio, fugiendæ, fugandæque inertiæ, non exornarem? Nunquam enimuerò adprobauerim ego, vacuo à curis tempore, figere muſcas Cæſarem. Quid ineptius, quàm

quàm cum ſerijs Imperij, rerumque publicarum momentis miſcere tam ludicra, ac rem eſſe cum muſcis illi, cui militant Iouis Aquilæ? Simile ijs negotium eſt; qui ita occupari cum laude nolunt; vt nihil agendo, aucupari muſcas videri poſſint, laudatiſſimi patrimonij, nempè temporis prodigi; quod non erubeſcunt partiri cum muſcis. At enim non tam ignaua, aut pudenda poetis otia: ſanior ijs mens; ac nunquam ſine compendio hæc diſpendia temporis: ludere, aut certare cum cycnis, cum luſcinijs, cum Muſis, non cum muſcis, præclarum hoc eſſe operæ pretium putant. Hiſce argumentis meam tueri cauſam, & quà exuſare, quà honeſtare ſcriptioné abundè poſſem. Nihilo tamen minus qui aliàs non illibenter, & quadam etiam alacritate mea exhibui; nunc ſanè cunctabundus, nec ſine frontis verecundia, quæ fugere ad ſalices, atque obuelare vultum iuſſit, hanc exhibeo poeticam Pinacothecam, quam præcipuis è picturis, ac ſimulacris, quæ ſiue

in

in templis, ſiue in Virorum Principum domibus, priuatiſque etiam Muſæis, ſiue in foris, compitis, villis Romæ extant, conflatam volui. Planè in adyta Principum penetrare, atque inde Bonarotas, Vrbinates, Titianos, Carauagios, alioſque præclari nominis Pictores excerpere, non ita facile mihi fuit. Infimis aliquando precibus, ac penè ad faſtidium efflagitando, extorquere vix tandem potui, quod cuperem. Plerumque verò licet ſemel, ac iterum, ac ſæpiùs, æquè ac moleſtiùs aures pulſauerim, audiri, ne dum exaudiri, nunquam potui; qui tanta vi precum, atque eo ardore animi interpellando, Icones ipſas, non Iconum indiculum, vt eas verſibus vtcumque exornarem, impetrari potuiſſe exiſtimabam. Quare qui ſupra millena Epigrammata animo conceperam, ſexcenta centuriare vix licuit: ordine ferè nullo, vt rerum quædam varietas, ac mutatus ſæpe Artifex, ac argumentum ſatietati occurreret. Cæterum, ſcio, à Parnaſſi contubernio abhorrere huiuſce

ſeculi

ſeculi ingenia, atque ab ijs adunco ſuſpendi naſo, quicquid Helicon cudit. Hanc ego inauſpicatam temporum moroſitatem nihil profectò moror: neque hinc aliquid ſolidæ laudis affectauerim, quando in rebus etiam ſerijs videor, me luſiſſe. Quam verò poſtremo loco attexui Odarum Appendiculam, rudimentum lyræ, ac ingenij eſt, Odas facere cōdiſcentis. Debere eas nolui, ne conqueri de Auctore ſuo iure poſſent, quod æternis damnaſſem tenebris, veluti adulterinas. Paucæ eæ quidem: attamen, quia malæ, ſatis multæ. Vale.

AD AVCTOREM EPIGRAMMATVM

de Sculpturà & Picturà Romana.

IACOBVS ALBANVS GHIBBESIVS
Poët. Laur. Cæſ.

PRæclarũ ingeniũ, ſtylus ardens, lucida vena,
Munera concurrunt laudibus apta tuis.
Roma vt *Amor* reſonat verè, ſic voce ſub vnà
Fama canit; *SILOS* omnia *Solis* habet.
Dùm ſtatuas igitùr præfers, veterumque tabellas
Crede mihi, ſtatuam ponis & ipſe tuam.

AV-

AVCTORIS

De exiguo hoc Picturæ, & Sculpturæ Opere,

EPIGRAMMA.

STant geminæ hic artes, telaſq; & marmora fingunt:
Illa leui, forti hæc exprimit ora manu.
Certant : illa illi eſt affinis, & æmula ; fertur
Vtraque diſcordi fœdere in effigies.
Eſt ſolida , eſt victrix Statuaria temporis ; ora
At Pictura refert pulchrius arte ſua.
Nempè color facilis , formas appingit & omnes :
Dura quis emollit ſaxa, vel æra manu?
Hic tamen & dextras iungunt, atque oſcula miſcent
Illuſtres artes, & iuuat eſſe ſimul .
Quæque ſua vnanimi vulgat miracula linguà
Artificum ſtudio nam didicere loqui .
Facundè didicere loqui ; noſtramque Camœnam,
Atque loqui Vatem condocuere ſuum .

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. Patri Magiſtro Sac. Palatij Apoſt.

I. *de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.*

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Mag. Sac. Palatij Apoſt. Ord. Præd.

ROMA-

ROMANA PICTVRA
LIBER PRIMVS.

PICTVRAE PROLOQVIVM.

QVI non inuitam, Phœbeâ & fronde reuinctam
Tempora, ab Aonio deduxit vertice Muſam,
Pangat vt aſſueto noua nunc Epigrammata plectro;
Ille recuſanti citharam mihi detulit idem
Pieriam, atque breui præfari carmine iuſſit:
Sum germana ſoror Pictura Poeſeos: ore
Par decus, ingenuæ par gratia frontis vtrique eſt;
Ludimus ingenio: vultuſque, & facta diſerto
Illa animat plectro; pictiſque coloribus ipſa:
Nanque ego muta loquor; pingit facundior illa:
Illa loquax audit Pictura, ego muta Poeſis.
Non genus, & proaui, aut ſpirantibus atria ceris
Nobilitant cunas, noſtræ & primordia ſtirpis:

Obſcuris lucem aſpicio natalibus ; vmbra
Nanque mihi alma Parens ; hinc hauſimus auras
Aethereas ; hinc & vitæ ſpirabile lumen .
Siue etenim argutus Paſtor deſignat herilis
Lanigeram pecoris ſpeciem ; ſeu pariete reſtant
Manſuri vultus Iuuenis , ſolatia amoris
Sollicici ; a tenui forma vtraque ducitur vmbra,
Atque rudimentum fuit hoc prænobilis artis .
Cui ſed creſcit honor, pretiumque acquirit eundo ;
Cum noua per viuæ commercia lucis, & vmbræ
Aſſurgit ſenſim ; fictiſque induſtria ſenſus
Addit corporibus , mireque extantia membra .
Tùm color acceſſit tabulis ; ſua nempè venuſtas
Picturæ : hinc hominum veros imitantia vultus
Ora, ſuis viuunt animata coloribus : aurum
Crinibus hinc ardet ; ſpiratque hinc purpura labris.
Attulit & cultum mox ſuccedentibus annis
Vſu trita manus, magnorum atque æmula virtus
Artificum . Varios hic vultibus imprimit actus ;
Hic bene dimenſum corpus partitur ad vnguem :
Contrahit ille artus : hic pulchrè intorquet, & ille
Dat venas extare aptè, neruoſque videri :
Sic me perque gradus, perque interualla peritum
Euehit ingenium ſumma ad faſtigia laudis :
Sic magnæ ſoboles mentis; rerumque parentis
Filia ſic dicor Naturæ, & Dædala mater
Thaumantis : facili & nutu ſic cuncta creantis ,
Fingentiſque Dei meritó vocor altera dextra :
Sumque meis vmbris , immixta lucè voluptas,
Spectantiſque oculi luſus : ſum nobile regum
Delicium, monitrix morum, mora temporis acti ,
Et duraturum vitæ reparabilis æuum .

Scilicet , hæ mihi ſunt artes : in imagine ficta
Expreſſiſse animas, viuoſque appingere ſenſus :
Palleat vt metuens; lymphatus vt ardeat : ore
Floreat huic riſus , flagrent huic vultibus iræ .
Fulmineum ſi pingo Iouem ; iam detonat æther ;
Iam

Iam trifidas ardere faces, & fulgura credis.
Si Martem, *horreſcis* Martem. Quem pictus Apelle
Pellæus Iuuenis non terret fulmine torto?
Quid tabulà expreſſam incendiſſe & cœca Dionem
Corda; vt in amplexus ruerit decepta cupido?
Quid Iulum alipede alipedem, cum verus adhinnit
Effícto? pictuſque canis, dum pendulus aurem
Spirat ab arte, canes bellè an non decipit ipſos?
Capta racemifero calatho ſat nota volucris:
Sat notus ficto captus velamine Zeuxis.
Pulchra meæ monumenta artis, geminumq; trophęũ
Candida ſunt vela hæc, vuæ flauentis & aurum.
Aſpice nunc telà aruorũ fuſa æquora, & vmbras
Syluarum tacitas, & mixtas ilice nigra
Aereas quercus, & coniferas Cypariſſos.
Aſpice præcipites altis è rupibus amnes,
Et pede Mæandros hinc torto ſerpere, leni
Hinc viua Euripos ire inter gramina curſu,
Et vitreos frangi per ſaxa minutula riuos.
Aſpice ſurgentes generosè in cornua tauros,
Et non dum ruptà certantes fronte iuuencos:
Villoſos aut valle vrſos, aut montibus apros,
Hos vngue, hos & dente canes terrere Moloſſos.
Ruſtica quàm grata hæc ſpecies! pigmentaq; noſtra
Quam benè & aruorum ſegetes, ſyluaſq; comantes,
Ruraque, & irriguos fugientes gramine riuos
Effingunt! tabulas cernis? te degere villis
Credis: vocales auras animare ſuſurro
Vmbriferas audis platanos, lauroſque virentes:
Penè audis & plectra auium, vndarumq; cadentum
Alliſus, dulci aut manantes murmure lymphas.
Cernis & imbelles ire herbeſcentibus agnos
Campis, quique ardent in mutua prælia tauri.
Te tenet hinc ſcopulo piſcator peruigil alto,
Dum tremulà tentat piſces illudere cannà.
Hinc venator aprum inſequitur: clamoribus auges
Tu quoque venantum voces, ceu cominùs adſis

Immixtus canibus, prædam̃que ſequaris anhelam.
Sic arti pretium facio, nomenque perito
Artifici: hinc Pandioniæ clarantur Athenæ,
Inclyta & effictis celebratur Græcia telis.
Quē latet arguti ingeniū, & manus impigra Apellis?
Cui non Protogenes dictus? non iuit ad aſtra
Parthaſius? celebri & victus certamine Zeuxis?
Fama canat veteris non intermortua ſecli
Nomina: qui noſtrum expoliere coloribus æuum
Et velut in circo concurrere frontibus æquis
Cum priſcis audent, iuuat hic perſtringere. Quis te
Aequat Timantes, Raphael? præclara Metauri
Fama tui, genius picturæ, & gloria prima,
Altera meta artis: nanque Herculis altera meta
Ille olim Bonarota fuit, cui contigit acre
Ingenium, longo mens & verſatilis vſu,
Doctaque pingendo affectus manus ire per omnes.
Hos pene haud lentis Titianus paſsibus æquat,
Cui laus prima, virùm ſimiles effingere vultus,
Atque ſuam humano capiti appinxiſſe figuram.
In facili membrorum ductu præſtantior alter
Non eſt Corregio. Veneres Carauaggius omnes
Diffundit tabulis. Nil Sarto dulcius. Vmbris
Clareſcit viuis Georgionus. Martia bella,
Et ſtrages animat Polydorus. Gratia Durum
Commendat. Pauli celebrat Verona lepores.
Eſt Tintoreto volucris manus, impigra Lucæ.
Arpinas lentus, ſed ſeruantiſſimus artis.
Iudicioque vales, Zamperi: vimque Parentis
Naturæ egregij exęquant miracula Rheni.
Hos ego ſic docui formas effingere rerum;
Vt ſi non eſſet gemina libratus in axe
Mundus, & obliquo non irent ſydera curſu:
Nec leo, Rex nemorum quaſſaret vellera fulua,
Nec ſua gens hominum terrarum fræna teneret;
Horum dextra ſagax, & Numinis æmula virtus
Cælumque, & rutilis circumuaga ſydera flammis,
Et

t mare fluctiſonum, ſtantes & pondere terras,
ibratasque ſuo; pictas volucresque, ferasque,
tque homines, rerum dominos mira arte creaſſent.
ſtq; meum elogium, quicquid mens lucubrat acris,
t labor artificum. Hi cumulent ſibi fulua metalli
ondera, & hi pretio diteſcant nobilis artis:
pſa ſed egregijs tabulis Pictura triumpho:
ſt meus vnanimi conceptus murmure plauſus.
t tibi quas referam flagranti pectore grates,
ui deſudatas non vno Sole figuras,
t plauſu dignas Romano, verſibus ornans,
roſequeris Musà, claroque in lumine ponis?
empla ſubis Diuûm; has aras inuiſis, & illas;
er tecta is Procerũ, duce Phœbo; & imagine multà
lluſtres aulas, ſecreta & Conclauia luſtras:
uasque vides picto pendentes pariete telas,
u tibi ſeponis; Citharæque argumenta diſertæ
eligis, atque tuo picturas carmine pingis.
ſt labor hic pretio dignus, curaſque Camenæ
ar fuerit meritas æquata lance rependi.
t mihi vis impar: telas has gratulor ire
erque manus, perq; ora virûm: ſed debita merces
it labor ipſe: tuæ hi verſus ſint laurea Muſæ.

AD
DEIPARAE EFFIGIEM

In Pauli Pont. V. Sacello in Exquilijs.

D. Lucæ Euang. Opus.

EPIGRAMMA I.

VERTICIS Exquilij decus, & tutela Latinæ
Vrbis, Virgineæ hic Matris imago præeſt.
Lucem afflat Lucas operi, Ille & temperat vmbram:
Virgo ſed eſt melior lux, color, vmbra ſibi.
Monſtra abigit nutu: Iliadem frænatque malorum:
Ipſam olim horribilem viſa fugaſſe luem.
Hoc admirandum; nix quondam vbi decidit alta,
Hìc facit & populos igne calere ſuo.

AD EAMDEM.

EPIGR. II.

PEr fora,perque vias,per ſumma,atq;infima tecta
  Romulidum olim atrox itquè, reditque lues.
Luctificum frænare malum, monſtrumq; cruentum,
  Non labor Herculeus, dextra nec vlla ſatis.
Hinc puer, hinc ſenior, nuptæ, innuptæque puellæ
  Falce truci exanimes, dum metit illa, cadunt.
Vna ſalus Mariana Icon: per compita fertur:
  Nec mora: vulnificus conditur ille chalybs.
Auſpice Gregorio, dum nanq; perambulat Vrbem,
  Quæ ferit, Aligeri torpet inulta manus.
Agnouit caſtrorum aciem, turrimque vibrantem
  Ales mille ſimul tela, deditque manus.

AD MARIANAM EFFIGIEM.

In Templo D. Virginis à Populo.

Eiuſdem D. Lucæ Opus.

EPIGR. III.

QVæ picta hic votis populorum proſtat Imago?
  Romuleo à Populo nobile nomen habet.
Qui calamo ſignat Mariani Numinis acta,
  Ille olim hæc magnæ Virginis ora notat.
Seu ſcribat Lucas, ſeu pingat ſedulus, æquè
  Exprimit hinc Matrem,hinc exprimit & Sobolē.
Effingit pulchrè vultus, ſeu nigra papyrum
  Sepia, ſeu telas inficit ipſe color.
At tu ne crede exanimem Lucæ Icona: finxit
  Is viuam, vt votas audiat illa preces.

D. HIERONYMVS
In Vaticano Templo
Mutiani Opus.

EPIGR. IV.

SYluarum, nemorumq;procul mortalibus hoſpes
Se fruitur Diuus, ſtat propiorque Deo.
Non antra exhorret, nigræ non ilicis vmbram,
Cui iubare affuſo, mens radiata micat.
Nęc rictus metuit, villoſaque terga leonum,
Cui mitis ſubdit colla ſuperba leo.
Saxa illi, & riguæ cautes dant roſcida mella,
Amnis & egelido murmure lacte fluit.
Tu rupes, tuque antra Senis, Mutiane, figuras
Illyrici; tuus eſt ruſtica ſylua labor.
Nil tamen à ſyluis tuus hic labor accipit: inde
Nil rude, & incompti nil habet hęc tabula.

D. SEBASTIANVS
in Vaticano Templo.
Dominici Zamperij, vulgò Dominichini Opus.

EPIGR. V.

BEllica nil virtus Diuo, nil profuit aula,
Quin dirà caderet ſæua pęr arma nece.
Relligio dat firma animos: ſtat pectore nudo;
Alite iam pennà Creſſa ſagitta volat.
Collimat non vna manus: certamine duro
Pectora milleno vulnere tela petunt.
Horret dira ſinu ſeges, & lethalis arundo.
Telorum in ſyluam viſa abijſſe trucem.
Perfacilis pinxiſſe labor: cruor ipſe colorem
Fecit, peniculus miſſa ſagitta fuit.

D.PE-

D.PETRVS pedes claudo reſtituit.

Franciſci Ciuoli opus in Vaticano Templo.

EPIGR. VI.

PRo Templi foribus pauper, pede captus vtroq;
  Abiectà viſus ſpe iacuiſſe diù.
Aſpicit hunc Petrus: nil auri diuitis, inquit,
  Eſt nobis: auro eſt quod tibi dem melius.
Ergo age, ter magni vi Numinis i pede fauſto:
  Dixit, & incolumis corripit ille viam.
Vtque leuis ceruus ſaliens, hinc Numen adorat;
  Hinc Petrum, volucri qui dedit ire gradu.
Iret & in tabula hac claudus: ſed parcimus, inquit
  Pictor; ne videar par, ſimiliſque Petro.

Sapphira ad PETRI pedes exanimis.

Pomarancij opus in Vaticano Templo.

EPIGR. VII.

DIſtrahit hęc agros, auri ſed parte retenta,
  Ad Petri cecidit fæmina auara pedes.
Exanimis iacuit, documentum gentibus atrox,
  Ne quid quiſque velit ſurripuiſſe Deo.
Extinctam hanc Pictor dum vult effingere; viuum
  Artifici agnoſcit vultum animaſſe manu.
Nam color aſſuetus pictis afflare figuris
  Vitam, extincta etiam viuere & ipſe docet.

SS. in Vaticano Templo TRIAS.

Petri Cortonenſis.

EPIGR. VIII.

BErrettine, manu facili tria Numinis ora
  Exprimis æterni, tergeminumque iubar.

Mergitur hoc pelago lucis mens noſtra, triformi
Noctua & in tanto eſt lumine, non aquila.
Mens eſt vna tribus, Treſque vna in ſede morantur:
Eſt indiuiſum Numen, & eſt trifidum.
Qui gignit, Soboli par eſt: quæ gignitur, ipſa
Grandæuo eſt Soboles magna coæua Patri.
Hos & nectit Amor, quem ſpirat amabile vtrumq;
Pectus: & eſt idem Numine, & eſt alius.
Auritæ hæc fidei luci ſeruantur, & vmbræ:
Illa ſubobſcurè detegit Empyreum.
Aemulus hanc æquat Petrus: vi lucis, & vmbræ:
Egregiè hic pingit nempe, quod illa docet.

CONSTANTINVS CAESAR cum Maxentio ſigna confert.

Iulij Romani opus in Aedibus Vaticanis.

EPIGR. IX.

HInc Conſtantinus, ferus hinc Maxentius ardet,
Aerataſque acies explicuere ſuas.
Claſſica dant ſignum ferale, itque hoſtis in hoſtem:
Atrox pugna calet, Mars & vtrinque furit.
Conſtantine, vides? ſpondet Crux aurea palmam.
Macte animo: Vinces, vox & amica refert.
Nec mora: ponte ruit fracto Maxentius; hauſit
Vitamque, & rabiem Principis vnda Tybris.
I nunc, Magne: ſtatim poſt aſpera bella triumpha:
Tarpeius pompà te propiore vocat.
At nunc quàm bellè tibi pullulat altera palma;
Viciſti ad Tybrim, vincis in hac tabulà.

Eadem Vaticani Tabula.

Eiuſdem.

EPIGR. X.

HOrribilem rerum faciem Mars aſperat, enſe
Hic vbi diſtricto cominùs ira furit.
At Conſtantino quod fulgurat æthere Signum,

Hoc

Hoc tibi, Maxenti, debita fata tulit.
Ergo dum feruet fera pugna, atque improbus ardet
Cæſar, præcipitem Tybridis vnda vorat.
Scilicet, immitis rabies, niſi flumine toto
Extingui inſani Cæſaris haud poterat.
Sit tumulus Tybris, gelido iaceatque ſepulcro,
Cui tanto immanis ferbuit igne ſinus.

Eadem Vaticani Tabula.

Eiuſdem.

EPIGR. XI.

VIciſti, Cæſar, *Tybriſque* abſorbuit hoſtem
Cuius nulla vnquam lauerit vnda ſcelus.
At caue, ne tribuas tibi, Conſtantine trophęum;
Si ſapis, auguſtæ dona fuere Crucis.
Illa monet, pugnatque ardens, ſuperare ſuperbum
Sueta triumphali ſæpe Acheronta trabe.
Victricem venerare Crucē: hoc nam è ſtipite magnę
Decerpta eſt fronti palma decora tuæ.
Iulius at quoniam pinxit victricia bella;
Hac tabulà æternus Cæſar, & Auctor erit.

LEO MAGNVS
Attilam flagellum Dei ſiſtit.

Vrbinatis opus in ædibus Vaticanis.

EPIGR. XII.

CEu Leo Marmaricus Romā petit Attila: eunti
Eſt furor, eſt rabies, mens & auara comes.
Iam Tybrim ſorbet, dominam iam deuorat Vrbē,
Iam volitant diræ tecta per ampla faces.
Sacrorum it contra Myſtes, Scythicoque Leoni
Impauido occurrit Romulus ore Leo.
Stemmata magnanimæ frontis, Magnique Leonis
Vocemque, & vultus non tulit ille Leo.
Hinc & flectit iter ieiuno territus enſe
Barbarus, hinc auri, luſaque ſacra fames.

Tu, Leo terribilis, diſcerpis penè Leonem.
Tu Leo magnanimus; nam lepus ille fuit.
Hac tabulà Raphael deuinctum penè catenis
Detinet: hic iterum funditur ille Leo.

ATHENARVM SCHOLAE.

Vrbinatis opus in Vaticano.

EPIGR. XIII.

SI tibi Cecropias votum eſt cōtendere Athenas;
Siſte gradum: hoc illas pariete nempè tenes.
Flos ille artificum, Raphael hic explicat, Illæ
Quicquid facundo grandius ore tonant.
Aſpice centenos celſa de ſede Magiſtros
Soluere grandiloquis ora rotunda modis,
Aure ſtat arrectà circum cirrata iuuentus,
Arripit & toto pectore dicta ſenum.
Hic Stoa declamat: patet hic illuſtre Lycèum:
Ars hic quæque ſuum nobilis vrget opus.
Ingenio hic terras, Cęlum hic metitur, & aſtra:
Naturæ arcanum detegit ille ſinum.
Hi verba, hi mores laudatis legibus ornant;
Hi cultu Muſas expoliuntque ſuo.
Has artes inter picturam haud cerno: docere
Hanc vnus Raphael, ſolus & ipſe poteſt.

EVCHARISTICVM Sacramentum.

In eodem Vaticano ab eod. Vrbinate depictũ.

EPIGR. XIV.

CErne piæ Cereris cæleſtia dona, micantes
Inter millenas penè latere faces.
Aula cateruatim ſtat circumfuſa Tonantis,
Miranturque albà ſub niue ſtare Deum.
Hinc priſci Vates, Patrum hinc longæua priorum
Canicies tantùm deueneranтur opus.

Cernis,

Cernis? vt in ſobolem ferro Pater incubet? agnus
Imbuat atque aram, & victima multa cadat?
Quid pluuiũ nectar? quid ab æthere lapſa coturnix?
Vbera quid ſponſæ ſat meliora mero?
Numinis hæc ſiquidẽ Cerealis ſymbola, & vmbrę,
Olim quæ ambroſias præmonuere dapes.
Explicat hęc pompà Raphael, & penè reuelat,
Quod voluit velo delituiſſe fides.
Abditus at lateat niueo Deus orbe: periti
Ars ſed Pictoris delituiſſe nequit.

P A R N A S S V S

Raphaelis in Vaticano.

EPIGR. XV.

ARduus aſſurgit ſuperas Parnaſſus ad oras,
Et ſe ſe gemino vertice findit apex.
Aſcenſus præceps: ſumma ſed parte vireſcit
Pulchriùs, & rident culmina verè nouo.
Laurigeræ paſſim ſyluæ: Zephyritides auræ,
Et melicæ volucres has reſonare docent.
Rupe cadens pulchrà, nitido pede tortilis errat
Caſtalius, violæ hoc fonte, roſęque bibunt.
Muſarum hìc ſedes: arguta his guttura: dulce
Cuique ſuum armonico è pectore pendet ebur,
Stat medius, cithara inſignis, facundus & ore
Phœbus, & Aonidum plectra canora regit.
Omne æuum hìc cantu teritur: Phœbuſq; Deęque,
Myrtus, fons, laurus, ſaxa vel ipſa canunt.
Auſpice te, Raphael, Romanæ cernitur Vrbis
Collibus in Latijs Collis & iſte biceps.
Et quòd par meritum Pictoribus, atque Poetis;
Phœbi eſt alter apex, eſt tuus alter apex.

D. PE-

D. PETRVS naufragus in Vaticano.

Iotti Florentini muſiuum opus.

EPIGR. XVI.

NAte Patris ſummi, fer opẽ; citò porrige dextrã:
Mergitur ille tuus Clauiger, heu, fer opem.
Aſpicis? inclamat, pallet, ſunt plena timoris
Ora, ferè totum ſorbuit vnda Petrum.
Fallit at effigies; illum ſic finxit Iottus,
Immergi refluis vt videatur aquis.
Mergitur hinc Petrus, nec mergitur: æquor & ipſũ
Nec fluctus agitant, nec tenet vlla quies.

Porticus ſuperior Vaticani Palatij.

Vrbinatis opus.

EPIGR. XVII.

POntificum hic vbi Vaticana palatia ſurgunt,
Ingentes æquat Porticus vna domos.
Pingendi nempè Vrbinas mirabile monſtrum
Ingenio hanc, picto fornice, nobilitat.
Iſacidum Patres rediuiuos edidit; æuo
Et ſemper viridi conſenuiſſe vetat.
Facta tot Heroum qui ſcripſit grandia, ab vrna
Non illi Heroas fas reuocare fuit.
Illos ſic Raphael animat, ſicque ora colorat;
E tumulo vt dicas, exiliſſe ſuo.

MICHAEL ARCHANGELVS

Muſiuum Calandræ opus in Vatic. Templo.

EPIGR. XVIII.

OLim ſydereà ſic pellit ab arce rebelles
Summi bellipotens Armiger ille Iouis.
Sic arſere oculi, arſere & ſic fulmina dextræ,
Sic pede calcatus ſquammiger ille Draco.
Ingenio, & mirà qui præualet arte Calandra
Muſiuum ſcitè hoc edidit auctor opus.

Non telà expreſsa eſt Ducis armipotentis imago:
Vultus ferre ignem, & fulgura tela nequit.

SIMON MAGVS
D.Petri nutu præceps ruit.
Vannij opus Vaticano in Templo.

EPIGR. XIX.

EVolat, inſuetum ſulcatque per aera pennà
Audaci mendax Ales, & aſtra petit.
Altiuolas imitatur aues: velut Aidea nubes
Tranſuolat: accipitres penè, aquilaſque præit.
Clauiger Empyrei precibus ſed præuolat. vlla
Nec mora; dat celſo ex æthere pręcipitem.
Itque, reditque Simon: Illo miratur euntte,
Vulgus; miratur ſed redeunte magis.
Hæc tu pingendo renouas ſpectacula, Vanni:
Petro olim, plaudit nunc pia Roma tibi.

CHRISTI DOMINI
in Cœlum aſcenſus
Raphaelis opus in D.Petri Montorij templo.

EPIGR. XX.

MIlle per ærũnas, per mille incõmoda Numen
Dira triumphali funere fata ſubit.
Poſt palmas aurata vocant Capitolia Cęli,
Vt meritas rediment ſydera texta comas.
Ergo abit: excipitur Cęlo plaudentibus aſtris:
Rident cunta, mero nectare cuncta madent.
Pompa nimis placuit Domino; voluitque triumphũ
Inſtaurare ſuum, plauſu iterumque frui.
Scilicet, Vrbinas illum dum pingit Apelles;
Hoc pompam, plauſus hoc renouaſſe fuit.

Icon eadem.

EPIGR. XXI.

MIra hic arte vides cõſcendere Numẽ Olympũ;
Ingenio Vrbinas hoc facit ille ſuo.
Triſtior eſtque comes mœror, gemituſq; ſuorum,
Quos angit ſuus ad ſydera raptus Amor.
Iure dolent: Cęlo ſed poſtquam eſt ille receptus,
Aruit in riguis lachryma fuſa genis.
Hinc, biſſena Cohors, mœrori cedite noſtro,
Quem facit æternum nobilis iſte labor.
Nempè hic ſemper abit Deus; & nos sẽper, eundo
Deſerit: hinc fletus cauſa perennis erit.

Propheta ab eodem Vrbinate depictus *In D. Auguſtini Templo.*

EPIGR. XXII.

PAriete deſcriptum miratur Roma Prophetam,
Hæretque ad tantum ſæpiùs artis opus.
Nil pictum, fictumque videt; ceu ſpiritus intus
Mentem agat, afflata & pectora magna coquant.
Illum fronte graui cernit; vultuſque profundus
Vertice fatidicum Numen adeſſe docet.
Inſignem argutà quis pinxerit arte Prophetam;
Quiſquis es, haud alio Vate docendus eris.
Effigies vix nanque oculis incurrit, & inquis;
Hoc opus Vrbinas edidit, aut ſimilis.

SIBYLLAE eiuſdem Vrbinatis *In Ghiſiorum Sacello ad Pacis Templum.*

EPIGR. XXIII.

GEns hominũ priſca altiloquas videre ſybillas,
Conſcia queis æui pectora, plena Deo.
Nimirum his Cęlum patuit, patuere futuri
Et latebræ; rerum nec latuere vices.

Noſce-

Noſcere de vultu, audire & grandi ore loquentes,
Afflatas multo Numine fortè cupis?
Hac ſpirant tabulâ: longęuis prorogat æuum
Virginibus Raphael, viuere datque diù.
Conciperent verba; at vetuit: diuina profari
Arcana, & paſſim fundere, nempè nefas.

Eædem Sibillæ.

EPIGR. XXIV.

OLim virgineo decora flore,
Et correpta Deo, ſciens futuri,
Multiplex cecinit Sibylla, & ore
Omnes fatidico edidere mira.
Partito velut Orbe, & huc, & illuc
Sparſæ, multiplici ſtetere ſede.
Nanque hęc Perſica, Delphica illa, & illa
Audit Punica: Erythra, Tibur, atque
Cumæ Chalcidicæ, Samoſque pulchra
Suam grandiloquam audiere Vatem.
At nunc ſedibus huc ſuis reuulſæ
Omnes conſpicis inuolaſſe, ad aram
Et facto agmine conſidere ſacram.
Huc quis compulit? atque tot diremptas
Tractibus mariumque, fluminumque,
Pulchro fœdere conuenire iuſſit?
At, quàm fallimur! ora quæ videntur,
Et ſpirare putas furore vatum;
Non ſunt, credite, Virgines Sybillæ:
Sed fictis referunt genis Sibyllas.
Vrbinas ſiquidem, artis ille Phœnix,
Maior Protogene, atque Apelle maior,
Sic nempè ingenio, manuque finxit,
Vt iures, veteres decem Puellas
Hic oracula fundere; hìc ſuaſque
Quamque fatidicas habere ſedes.
Hinc veræ vt videantur hæ Sybillæ,
Debuit viuus color eſſe mendax.

FORNIX ab eod. Vrbinate pictus.
In Tranſtyberinis Farneſiorum Hortis.
EPIGR. XXV.

NOn hoc ſuſpicimus mendacia Numina picto
  Fornice: qui pinxit Numina, ſuſpicimus.
Iuppiter hìc torquet penetrabile fulmen; acutà
  Saturnus falce hìc territat ore minax.
Aeratus feruet Mauors, irataque Iuno,
  Hìc & bellipotens Pallas, & alma Venus.
Mixta hìc turba Deùm, qui degunt æthere ſummo,
  Qui mare, qui terras, quique Acheronta regunt.
Sors eſt, illorum quòd ſit tam fabula nota:
  Sunt nempè vmbra leuis, nomina nuda, nihil.
Nam tātùm arte valet Raphael, ſic Numina pinxit,
  Veros vt vulgus crederet eſſe Deos.

RAPHAELIS VRBINATIS effigies ab ipſomet expreſſa.
In Villa Burgheſiana.
EPIGR. XXVI.

QVàm ſcitè Raphael tui figuras
Vultus effigiem manu perita!
Spiras hac tabulà, lucetque fronte
Argutum ingenium, indoleſque mentis,
Qua peracri animas colore telas,
Et facis tua palpitare lina.
Hinc pulchrè geminatus ore, vultus
Quis ſit verior, ambigis: videtur
Formà nanque pari, aut vterque fictus
Præſtanti ingenio, aut vterque verus:
Altero at pereunte, non peribit
Alter: hinc eris & tui ſuperſtes,
Et viues meritum perennis æuum,
Phœnix artificum peritiorum.

SABI-

SABINARVM RAPTVS
In Aula Capitolina.

Ioſephi Cæſaris Arpinatis.

EPIGR. XXVII.

Ntentas ludis ludit Romana Sabinas
 Pubes, & diues præda reuecta domum eſt.
uctantur, renuunt; flauoque hæc crine tenetur,
 Pallà hæc: fœmineus clamor & aſtra ferit.
los raptus, hanc luctam æui monumenta loquũtur;
 Objicit aſt oculis Cęſaris iſte labor.
Ianque vbi raptores, raptaſque in pariete cernis;
 Illi iterum rapiunt, hæ rapiuntur, ais.
His olim furtis magni creuere Quirites:
 Magnus & hinc Cæſar nomine, maior erit.

ROMANORVM
cum Sabinis pugna.

Eiuſdem Arpinatis in eadem Aula.

EPIGR. XXVIII.

NOn hæc fert animus ſpectare horrẽtia Martis
 Arma, licet picto in pariete pugna furat.
Vrgent ſe ſe acies: hoſti imminet hoſtis, & enſes
 Stant iugulis: premitur pes pede, virque viro.
Eſt immixtus eques pediti; ſic ſtragibus itur
 Ad ſtrages: ferit hic, hic animamque vomit.
Tot viſu horrenda, & tot triſtia funera docto
 Ipſe tuo, Cæſar, grata labore facis.
Oblectant, terrentque neces; laceratąque ferro
 Pectora fulmineo, & vulnera picta placent.
Nec mirum: Arpinas, addis cum nempè figuris
 Pingendi Veneres, Mars nequit eſſe ferus.

D. ANDREAS APOSTOLVS Cruci affigitur.

Dominici Zāperij, vulgò Dominichini opus in Aedibus S.Gregorij.

EPIGR: VXXIX.

LYmphata hìc ardet Lictorum turba, Crucique
Optatæ Andream per fera probra ligant.
Grande lacertorum robur quiſque exerit: vnà
Impietas certant, vis, feritaſque virùm.
Totque hominum rabiem, tot fortia brachia fortis
Vnius Andreæ vis generoſa domat.
Stat vultu impauidus: eſt adamas in pectore duro:
Attamen à molli languet amore Crucis:
Quam rabies, & amor diſtant! tu, Pictor, vtrumq;
Arte tua miſces; illa amat, illa furit.

D. AGNES aurum, & veſtes pauperibus erogat.

Eiuſdem Zamperij in D. Aloyſij Templo.

EPIGR. XXX.

CAndida lacte ſuo, natiuo & flore pudicas
Culta genas, Agnes dat pia dona manu.
Nudos vela fouent: Danaes pulcherrima, mutans
Nempè vices, aurum depluit ipſa manu.
Stant inopes circum vultu pallente, manuſque
Certatim extenſas largiùs illa replet.
Virginis è tantæ acciperent vt munera dextrâ,
Emendicarent, credite, Cælicolæ.
Interea egregius Pictor ſua dona capeſſit:
Effigie hac ſiquidem fama perennis erit.

D.MAT-

D. MATTHAEVS IN TELONIO.

Carauagij opus in eodem Templo.

EPIGR. XXXI.

DVm ſedet, infræni Matthæus & incubat auro,
Quærit & aſſiduo fœnore auarus opes;
Numen adeſt: intus claratur lumine, pulſat
Non ſurdas aures vox & amica foris.
Ille audit: Dominum ſequitur, mora nulla, vocantē:
Auri non retinet vis, neque dira fames.
Arte, Carauagi, mirà Matthęus ab illo
Matthæo longè cernitur hìc alius.
Quę verò hic tabula eſt, numerato & fulget ab auro,
Quàm tua tela iſthæc ſit pretioſa, docet.

PETRVS, ET ANDREAS vocantur à Domino.

Dominichini opus in D. Andreæ à Valle Templo.

EPIGR. XXXII.

GErmani expediant viden vt ſua retia Fratres,
Queis cenſus, vitæ & commoda piſcis erat.
Interea Dominus ſua mittit retia: onuſta
Retia & ad Dominum mox rediere ſuum.
Dum ſiquidem prædā meditantur ab æquore; pręda
Fit piſcatoris Frater vterque Dei.
Conueniunt prædæ: hoc diſpar: nam piſcibus ora
Muta ſilent; mundum his voce docere datur,
Quid ſi vel picti fantur? mutiſque figuris,
Cernis? ſtant ſummis verba diſerta labris.

QVATVOR EVANGELISTAE ad Tholi angulos.

Eiuſdem Dominici opus in eodem Templo.

EPIGR. XXXIII.

CErne voluminibus claros, calamoque diſerto,
Quos animat Diuos mirus ab arte color.
Non opus eſt nomen proferre: hic nanque Leone
Noſcitur, Aligero hic, hic Aquila, ille Boue.
Pictor Apellęà finxit nil pulchrius vnquam
Dextrà; Roma nihil grandius ipſa videt.
Pingendi iuuere artem, iuuere laborem,
Quæ Diuûm lateri ſymbola ſtare vides.
Gratia ab Aligero eſt afflata coloribus; auxit
Vim Leo; lucem Aquila; at Bos graue fecit opus.

THOLVS D. ANDREAE A VALLE Cæli gloriam repræſentans.

Ioannis Lanfranchi opus.

EPIGR. XXXIV.

QVi Tholus egregiè cultus tēplo incubat alto
Sydera & ex imà Valle ſuprema ſubit;
Vt Cælo propior, ſic pulchra in imagine quicquid
Eximij Cælum continet, ille refert.
Ingens artis opus: pura in caligine lucis
Fulgida mille vides agmina Cælituum.
Innumeri numerum confundunt: aureus ordo
Ordine miſcetur: ſpiſſaque turba placet.
Sede Deus celsà, lux totus, fulgurat; inde
Felices animas nectaris imbre beat.
Pingere qui potuit mira hæc ſpectacula; magno
Ille Siracoſio par, ſimiliſque fuit.
Nam Cælum exiguo immenſum concluſit in orbe,
Quemque ſuo Cælum non capit orbe Deum.

D. BER-

D. BERNARDVS DEIPARAE vberibus admouetur.

Titiani opus in eodem Templo.

EPIGR. XXXV.

HAec Burgunda Apis: huic ſuaues mella Attica mores;
Mellea & huic fandi vena, ſtyluſque fuit.
Nunc cum melle ſuo purum lac miſcet, & ora
Virginis è niueo pectore lacte madent:
Fitque Dei Mater Bernardi mater: eodem
Vtraque nanque rigat guttura lacte ſuo.
Diuus ſat debet Titiano; ſcilicet Illi
Eius ope nunquam lactea vena deeſt.

GYGANTVM in Superos bellum.

Petri Cortonenſis opus in Aedibus Barberinis.

EPIGR. XXXVI.

ANguipedũ hic ardent Titania bella Gygantũ,
Aſpera fulmineo bella timenda Ioui.
Stat centimgeminus Briareus, validàque Tiphæi,
Enceladique vides ſaxa rotata manu.
Rupibus imponunt rupes, & Pelion Oſſæ:
Territa palleſcunt aſtra vel ipſa metu.
Cum Superis fremit armìſonans, dextraque rubente
Iuppiter horrendùm fulminat, ore tonat.
Nec mora: ab igne ruunt trifido monteſq; Gygãteſq;
Arce ſub Aetnæà monſtra ſepulta iacent.
Victori tu, Petre, canis Pæana Tonanti;
Vocem nanque tua hæc muta Poeſis habet.

VVLCANI, ET CYCLOPVM antrum.

Eiuſdem in ÿſdem Domibus.

EPIGR. XXXVII.

AN nigra hìc feruet Lemnos, Lipareia & antra,
 Fuluaque Sicanus Mulciber æra domat?
Pectore ſtat nudo Steropes, nudiſque lacertis
 Stat Brontes: nimiùm colla operoſa madent.
Incus dura gemit: tenuatur in horrida ferrum
 Fulmina, in omnigena & vertitur arma chalybs.
Pone metum: paci nam fuſa metalla liqueſcunt:
 Paxque ſub igniuomis enſibus alma latet;
Hinc ſecura ſui Regna: hinc & ſecula currunt
 Aurea: ferro oritur nam propiore quies.
Tu, Petre, hæc fingis, roburque Cyclopibus addis;
 Arte tua & fulgent arma nitore nouo.

HERCVLES Hydram conficit.

Eiuſdem Cortonenſis ÿſdem in Domibus.

EPIGR. XXXVII.

STerneret vt monſtrum illętabile, Lemnia forti
 Amphitrioniades expedit arma manu.
Itque in colla truci claua: ſed vulnere diro
 Dira renaſcuntur vertice colla nouo.
Certatim creſcunt, rediuiua hinc anguibus hydra;
 Herculis hinc magni vis animoſa toris.
Tandem cęſa cadit capitum fera turba: coronat
 Effera & Alcidis Lerna ſubacta caput.
Pinxiſſe hanc palmam, tua palma eſt, Petre, tuuſque
 Haud minor Herculeo eſt nempè labore labor.

MICHAEL

MICHAEL ARCHANGELVS

Chriſtophori Pomarancij opus in D. Andreæ à Valle.

EPIGR. XXXIX.

FVlminifer terret Michael Acheronta, rebelles
Et Serpentigeros ima ſubire iubet.
Præcipites vrget vultu ardeſcente, premitque
Quà pede, quà rigido colla ſubacta iugo.
Hoc Cœli, & belli Fulmen Pomarancius edit;
Igniuomas ſpirat tela vel ipſa minas.
Egregiæ at tabulæ Michael dedit ore coruſco
Lucem, nigram vmbram ſtyx ſed opaca ſuam.

D. PAVLVS baptizatur.

Petri Cortonenſis apud Cappuccinos Patres.

EPIGR. XL.

VEctus equo Saulus, cędes ſpirabat, & ignem;
Territus at grandi voce repentè cadit.
Poſt caſum fauſtè luſtrali mergitur vnda:
Felix, ſiue cadit, ſeu ſacra mergit aqua.
Saulus nempè cadit; ſurgit ſed Paulus; & vndâ
Fluminis abluitur ritè, nec obruitur.
Berettine, iterum mergis: merſuſque reuixit:
Nanque tuà in tabulà viuit, & eloquitur.

CHRISTVS DOMINVS è Cruce tollitur.

Danielis Volaterrani opus in Trinitatis Montium Templo.

EPIGR. XLI.

NAturæ, & mundi luctu, & mœrentibus aſtris
Expirans, mortem flebile Numen obit.
Tolli-

Tollitur exanimis mox diro e ſtipite, triſti
Vt foueat tumulo membra cruenta quies.
Aſpicis? ille gradus ligno admouet; ille reuellit
Clauos; ille manus corripit, ille pedes,
Excipit & fletu Mater: tùm fuſa capillos,
Figit mille oculis oſcula, mille genis.
Munera tot ſolus Daniel aptè exprimit: & quæ
Vix centum peragunt, perficit vna manus.

DAVID Citharam pulſans.

Ioſephi Arpinatis opus in Villa Burghe-ſiana.

EPIGR. XLII.

HIc ille Iſacidum Rector, Ieſſęus eburna
Plectra mouet, ſuaui mulcet & aſtra ſono.
Dulciloqua it per fila manus: ſic chorda canora eſt,
Ceu plectro aſtriferam temperet ille lyram.
Qui videt hanc tabulam, luſis bellè auribus audit,
Auritiſque oculis ebibit ille melos.
Diuidit hinc plauſus: Citharistam laudat, & illam,
Pingere quæ nouit dextra perita ſonum.

IDEM DAVID pſallens, & ſaltans ante Arcam.

Dominici Zamperij in Quirinali D. Syl-ueſtri Templo.

EPIGR. XLIII.

IEſſæus Fidicen viden, choreas
Vt plaudat pedibus, ſonante plectro?
Arca Numinis incitat, mouetque
Et manum volucrem, & pedem volucrem.
Non illum retinet ſtupentis Aulæ
Murmur, dictaque Coniugis ſeuera:
Non Regis grauis & cothurnus alti,

Maie-

Maieſtaſque gradu locata celſo.
Pulſat, perſonat, exilit, supernè
Lymphatus, ſubito Deoque captus;
Audis hinc cytharam, vides choreas,
Pictas pariete; Regiuſque ſcite,
Te ſpectante, canit, pſallitque Vates.
Tantùm nempè poteſt color, colori
Mens ſi viuida ſpiritum refundat.

IVDITTHA cum reciſo Holophernis capite.

Eiuſdem in eodem Templo.

EPIGR. XLIV.

AGnoſco Amazonem, Viraginemque
Fortem, Bethuliæ decuſque ſummum.
Hæc illa Patriæ pudica vindex,
Parenſque, vultu pulchra, compta crines,
Manu ſed ardens, bellicoſa pectus,
Maior viriſque fęminiſque maior.
Ceruice diuulſum caput cruentum,
Vultuſque adhuc minax ſatis, ſuperque
Virtutis indicat piè ferocem
Naturam, & acrem, viuidamque dextram;
Hinc audet, horridà Ducis ſuperbi
Ceruice correptà, ſecare colla.
Tùm læta victrici manu reportat
Partum Bethuliam ſuum triumphum;
Qui fingis inclytam, perite Pictor,
Colore viuo Fęminam, caputque
Ducis cruenti diriter comatum;
Es Gorgonis viſus caput Meduſę
Dediſſe Genti Martiæ videndum.
Nam quiſque diſciſſum caput tuendo;
In ſaxa vertitur, ſtupore fixus.

ESTHERIS deliquium ad Aſſueri conſpectum.

Eiuſdem in eodem Templo.

EPIGR. XLV.

ARgutus iſte color, Apellęa manu
Fuſus decorè, languidam vultu facit
Squalente Reginam: metu pallet, cadit,
Regem vt videt fronte truculentum turbida;
Perque ora flagrate indicem cordis facem.
Rex ipſe contra videt vt exanimem, ſuo
Solio repente ſurgit; illam ſuſtinet,
Solatur, alleuat, recreat, ora exuit
Irata, totus melleus, totus lepor.
Sic lecta Numinis Parens Cęli ſtatim
Placat Tonantem, & precibus exarmat ſuis.
Et Pictor hæc verſatilis bellè exprimens,
Vultus ſeueros induit, vultus pios,
Mutatus ora ſæpiùs, ceu Protheus.

BETHSABEE in eodem cum Salomone filio Solio.

Eiuſdem Zamperij in eodem Templo.

EPIGR. XLVI.

QVàm bellè Solio ſtat ſuper arduo
Heroina Parens regia Principis,
Maieſtate grauis, frontis amabilis
Comi & gratior indolé.
Nimirum ſapiens ſic Salomon iubet:
Pulchrum nempè ſibi Rex putat inclytus;
Dextro vt ſtet lateri proxima, ſedibus
Mater digna curulibus.
Ceu pręclara vides iuncta Parelia;
Clareſcit meritis gloria mutuis;

Hinc

Hinc Nati Genitrix lumine fulgurat;
Ille hinc Matris honoribus.
Ambo aſt egregium magnanima vice
Pictorem cumulant laudibus inclytis,
Vno quòd ſolio (nam hoc ſatis arduum)
Reges conſtituat duos.

D. STEPHANVS lapidibus obruitur.
Ioſephi Arpinatis in D. Syluestri Templo.
EPIGR. XLVII.

AN fuerit Stephano lapidum illætabilis imber?
Picta manu egregià hæc edocet effigies.
Coniurata vides immania brachia, ſaxis
Atque volubilibus mille calere manus.
Ille ſed immotà ſtat fronte in turbine tanto,
Lętior atque auido pectore ſaxa vorat.
Dulce illi, Empyreum patuiſſe: per impia ſaxa
Dulcius at duram ſuſtinuiſſe necem.
Lydius hic Stephani pectus lapis indicat aureum:
Indicat artificis nobile & ingenium.

D. STEPHANVS poſt lapides Cælum petit.
Eiuſdem Arpinatis in eodem Templo.
EPIGR. XLVIII.

GRandine percuſſus lapidum, diraque procella
Stratus humi Stephanus, cernis, vt aſtra petat?
Saxa triumphalem ſtruxerunt ilicet arcum,
Ornando & capiti gemma fit ipſe lapis.
Inde coronatus ſcandit Capitolia Cæli:
Quæ nanque eſt clades viſa, triumphus erat.
Nobilis Arpinas dum mirà hunc arte triumphum
Exprimit, hinc laudem carpit, & ipſe ſuam.

Quo Stephanus curru in Cælum nam fertur, eodem
Ipſe etiam fertur docta per ora virùm.

PVELLVLI COLLVDENTES.

In Quirinali Sanneſiorum Sacello Polydori opus.

EPIGR. XLIX.

SEna Puellorum paria hoc in pariete ludunt:
Par æuum, par & frons, ſimiliſque gena eſt.
Huc niueis venere alis, Cæloque relicto,
Illos obſequio hæc *Virginis* ara dicat.
Purus ineſt candor: per mutua brachia nexus
Impediunt; caſtus pectora nectit amor,
Gaudia teſtantur riſu, teſtantur & ore
Blandiloquo: it molli è gutture dulce melos.
Eſt qui pulſet ebur melicum, fidibuſque loquatur:
Suſpenduntque aures aurea fila lyrę.
At, non tu ludis, Polydore: hinc grandia pingas,
Hinc parua: at ſemper maxima dextra tua eſt.

B. BERNARDVS

Polydori opus in Hortis Quirinalibus Cler. Reg.

EPIGR. L.

ROma Quirinales miratrix conſpicit hortos:
Nanque hinc tota ſimul Roma vel ipſa patet.
Hos ornas, Polydore, hortos tu ſanctiùs; addit
Cum tua Bernardi hæc ora verenda manus.
Ceu rapitur Diuus; fixuſque in Virginis ora,
Ipſe alios mirà relligione rapit.
Quin prona in Diuum rapitur Virgo ipſa; & ametur
Incertus dubitas, Illa, vel Ille magis.
Inclyte tu Pictor, vultum ſic fingis vtrumque.
Diuidi vt ex æquo par videatur amor.

Nempè

Nempè tuà in tabulà certatur viribus æquis :
Non amat Illa magis , non amat Ille minus.]

SAVLVS cæleſti voce ad terram deijcitur.

Mutiani opus in D. Pauli Templo Via Oſtien.

EPIGR. LI.

IT Saulus ardens , ceu Leo Punicus ,
Spirat ſeuera fronte ſuperbior
Minaſque , cædeſque , & Gygantum
More petit Superos, & aſtra.
At bellicoſo fulmine territus ,
Strepente Cęlo , lucis & igneæ
Circumuolutus mox procella ,
Præcipiti ruit ille caſu .
Audes Tonantem , Saule , laceſſere ?
Audes ? tibi quid durius , aſpera
Quàm fræna mordere , vnguláque
Sic furere in ſtimulos rebelli ?
Hæc Mutianus , Protogene haud minor ,
Mira arte pingit ; ſcitus & efficit ,
Cælum vt tonetque , fulguretque ,
Exanimis cadat atque Saulus .
Miraris alti hìc fulmina Numinis :
Miraris artis Dædaleæ modos :
Hinc diuidis plauſus tuos : nam
Mira vides vtrobique , Roma .

REDEM-

REDEMPTORIS DOMINI Corpus effertur ad tumulum.
Michaelis Carauagij opus apud Oratorij Patres.

EPIGR. LII.

AD tumulũ exanimis Domini miſerabile pignus,
 Aeternis dignum fletibus, ire vides.
Poſt hominum rabiem, rigidi poſt vulnera ferri
 Excipiunt duro frigida ſaxa ſinu.
Sic cupidus, ſic nempè fuit ſitienſque dolorum;
 Vt vel in extincto manſerit illa ſitis.
At tu, quiſquis es, efferri dum flebile Numen
 Aſpicis, & ſolui triſtia iuſta Deo;
Ne crede extinctum: Pictor ſic exprimit arte,
 Corpora vt exanimis iam rediuiua putes.

Templo ſiſtitur B. VIRGO.
Friderici Baroccij apud Oratorij Patres.

EPIGR. LIII.

VVltu lilia candido,
 Fronte & virgineâ fuſa modeſtia,
Afflatuſque genis pudor,
 Quæ ſit, quæ Domino ſiſtitur, edocent.
Hæc illa Iſacidùm decus,
 Et flos, Sceptrigerùm Filia Principum,
Parua æuo, indole grandior,
 Et matura Deo regia Pupula,
Templa it iam pede libero
 Noctuque, atque diù lucubrat impigra.
Aras floribus imbuit,
 Et telas variat candidulà manu.
Barocci, aureolas comas,
 Naſcenteſque roſas oris amabilis.

Ipſam pingis & indolem.
Tu nempè egregiè in Virgine paruulà,
Qui tantùm ingenio vales,
Scis eſſe artificum maximus omnium.

B. VIRGO inuiſit Eliſabetham.

Eiuſdem Carauagij apud eoſdem.

EPIGR. LIV.

IRe iubet cognatus amor: nec Virgo moratur;
Non mons, acclinis non vetat ire via.
Ergo in complexus ruit vtraque: diuus vtrique
Mutua & innectit vincula amoris amor.
Stant magni Infantes vtero: Matrumque decoro
In vultu arcano lumine vterque micat.
Quæ ſeruere vltrò, & citrò gratiſſima verba,
Sacra voluminibus litera ſcripta docet.
Quod ſi Scriptorum deſint monumenta; diſertè;
Credite, facundus dixerit iſte labor.

CHRISTVS DOMINVS Turbas paſcit in Monte.

Blaſij Botti Cler. Reg. in Cœnatione eorumdem.

EPIGR. LV.

ASpicis ingentem turbam? non Herculis ora
Aurea, ſed Domini lingua diſerta trahit.
Eſurit at turba hæc ieiuna: hoc vertice montis
Quæ poterit Cereris vis recreare famem?
Mira fides: creſcit magni vi Numinis vltrò
Dapſilis è modico pane repentè Ceres.
Nec mora: diſcumbunt: it circùm largior eſca;
Vſuque, eſuque hanc gliſcere quiſque videt.
Miranturque ſimul creſcentis fragmina menſæ,
Colligi & è modicà relliquias Cerere.

Hìc vbi Cęna Patrũ, quã bellè hęc Bottus adũbrãs,
Nunquam inopum votis aſtra deeſſe docet.
Ipſe ſed & facit, & pingit miracula: nanque
Par tabula annonæ, mira perindè fuit.

CHRISTVS IESVS inter Doctores.

Blaſÿ Botti C. R. in Bibliotheca eorundem Cler. Reg.

EPIGR. LVI.

QVid Pharon, altiloquas aut aduena quæris Athe (nas.
Inſtruat vt mentem docta Minerua tuam?
Flecte iter; en Solyme pluſquam gymnaſia mille,
Pluſquam mille ſimul culta lycea patent.
Aſpicis? hoc vno à Puero vel docta Stagira,
Diſcere vel potuit Porticus ipſa ſatis.
Eſt puer, eſtque ſenex: eſt & facundia diues
Infanti: eſt ætas florea, flaua ſeges.
Stant circùm docti Iſacidæ: portenta loquentem
Mirantur: lepor, & pondus ab ore fluit.
Musèum, Blaſi, in noſtro mirabile pingis
Musèo: pariter grandia vtrumque docet.

SERPENTES IGNEI in Hebræos graſſantur.

Caſellÿ Crem. Cler. Reg. in Quirinali D. Silueſtri Templo.

EPIGR. LVII.

QVisquis es, horreſce ad dira hęc ſpectacula: vin- (dex
Sic Nemeſis, ſic & Numina læſa monent.
Ferales ardent angues, colubrique trilingues,
Efflat & intortus dira venena draco,

Mille-

Milleni huc illuc ſerpunt: his ſquammea terga,
Faxque oculis; ceruix his ſinuoſa tumet.
Horrere Iſacidæ: haud latebræ iuuere, volucris
Non fuga, non facili tela vibrata manu.
Igniuomi dirè quos percuſſere chelydri;
Illis vna ſalus, æneus anguis erat.
Hanc aperit ſcenam Pictor, tabulaque in eàdem
Acri mordet hydrus dente, medetur hydrus.
Mendax Pelidæ quid iactat fabula telum?
In pictà hac telà morſus, & indè ſalus.

D. CATHARINA VIRG. ET MART. ſubharratur à Puero IESV.

Raphaelis Vrbinatis opus in Templo Quir. Cler. Regul.

EPIGR. LVIII.

HInc roſeo ſuffuſa genas Catharina pudore
Infanti niueum porrigit articulum:
Lætà fronte Puer Sponſale hinc blandulus aurum
Porrigit, & niueis inſerit articulis.
Sic nubit Catharina Deo: pulcherrima Virgo
Eſt ſponſa, eſt diues dos, thalamuſque ſimul.
Hoc etiam mirum, quòd nupta, innuptaq; Sponſa eſt:
Inque thoro innupta eſt, nuptaque Virgo magis.

D. STEPHANVS diſputans.

Arpinatis in Quirinali Cler. Reg. Templo.

EPIGR. LIX.

INcola Cyrenes, Phariuſque, Cilixque diſerto
Audent cum Stephano conſeruiſſe manus.
Excipit is pugnam: flagrat quod pectore flammis
Facundis Numen, guttura, & ora replet.
Flāmiuoma hinc Iuueni verba: hinc illi ignea tela:
Fuſaque grandiloquo ſternitur ore phalanx.

Non deerunt merito Victori ſerta: cruentus
Stabit pro gemma diuite fronte lapis.
Et tibi, qui pugnam fingis, tua laurea prompta eſt,
Arpinas; Stephanus nomine ſerta parat.

D. LAVRENTIVS in craticula.

Caroli Roſæ in D. Ioannis Florentinorum Templo.

EPIGR. LX.

CRate ſub ardenti feralè hìc viuidus ignis
Aeſtuat, & dirè pruna coruſca flagrat.
Impoſitus truculentum auget Laurentius ignem
Igne ſuo, & flammas intima flamma fouet.
Pectus alit ſiquidem diuini incendia amoris:
Acriùs hinc intus feruet, & indè foris.
Tu, Roſa, pingendo dulcem cratem efficis arte;
Et iacet in flammà, ceu cubet ille roſà.
Quòd ſi ſæpè roſam miramur dulcè loquentem;
Par eſt, pingentem nos ſtupuiſſe Roſam.

DEIPARA CVM PVERO IESV, & Ioanne Baptiſta.

Pomarancij apud Clericos Reg.

EPIGR. LXI.

CErnitur intacta hìc Mater, gremioq; Puellus
Sydereus, nemorum cultor & ille Puer.
Diuidit amplexus Vìrgo, riſuſque beatos,
Lacteolo ludit cum Pueroque Puer.
Cæli delicias omnes, & ſydera pulchri
Quicquid habent, Pictor clauſit in hac tabulà:
Sic & laude pari tabulà concluſit eadem,
Pingendi egregià quicquid in arte boni eſt.

B. VIR-

B. VIRGO in Cælum Aſſumpta.

Dominici Zamperij in Tranſtyberina D. Virginis Eccleſia.

EPIGR. LXII.

PLena Deo Virgo, Scythicis nō ignibus ardens;
Sole ſed auricomo clarior, aſtra ſubit.
Sydera dū ſcandit, facto agmine, ſydera plaudunt:
Aſtrifer hinc Cycnus concinit, indè Lyra.
Nempè nouum Cælo importat pulcherrima Cælū,
Et potis eſt ipſum fortè beare Deum.
Inclyta ſed Mater ne tota relinqueret orbem;
Spirantem hic Pictor iuſſit adeſſe diù.
Felix arte tua, Mariam ſupera aſtra petentem
Morte vel inuità qui retinere potes.

D. VIRGINIS CVM D. IOSEPHO Coniugium.

Caroli Maratti in D. Iſidori Templo.

EPIGR. LXIII.

ASpice Virgineæ quàm rara modeſtia fronti;
Virgineo & Sponſo quis ſit in ore pudor.
Anulus inſeritur digitis dum Pronubus; ore
Viſa verecundo nubere Virginitas:
E Cælo deſcendit Hymen, tædaque iugali
Exarſere animæ, corpora inuſta manent.
Nulla Venus thalamo, niueis ſternitque cubile
Intactum Sponſis intemeratus amor.
Qui iungis dextras, ſociali nectis & auro,
Maratte, haud ſterile eſt hoc tibi Coniugium.
Arti nanque tuæ, viuiſque coloribus ortu
Felici æternum naſcitur indè decus.

D. PETRVS cruci affigitur.

Guidonis Rheni ad guttam iugiter manantem.

EPIGR. LXIV.

OPtas, Petre, Crucē: vetat at reuerentia, mundi
Pro Domino ſimili ne morerere cruce.
Crux datur hinc cupido: pulchrè: at mutata figura eſt,
Et ſubis inuerſo vertice, Diue, crucem.
Dum caput eſt terris propius, veſtigia ad aſtra
Tendunt; ima tenes, & ſimul alta petis.
Tuque etiam prono dū̄m pingis vertice Petrum;
Altiùs erigeris, temnis & ima, Guido.

DIVAE VIRGINIS TRANSITVS.

Andreæ Sacchi apud Barnabitas D. Caroli.

EPIGR. LXV.

EXilium pertæſa ſuum, cùm ſanctiùs efflat
Pulchrā animā, exuto corpore, magna Parens;
Aut Amor immitis iaculatur ſpicula Mortis;
Mors aut rapta pio tela ab Amore vibrat.
Nam moritur, neſcis, vel amet: ſic nectit vtrumque,
Mors vt amet, dulcis & moriatur Amor.
Nimirum dices, morientis Virginis ore
Certare, aut pulchro fœdere ſtare ſimul.
Miſcuit hæc Pictor Mariano in funere, & illum,
Quæ moritur Virgo, non ſinit ipſa mori.

D. APOLLONIA.

Mutiani in Diui Auguſtini Templo.

EPIGR. LXVI.

CVi durus, ſolido ære temperatus
Chalybs munierat ſinus verendos,
Apollonia, laureata Virgo,

Non

Non ignem timuit, rubente flamma;
Fœcundumque rogum inſilit repentè,
Ceu vitam pareret cinis recentem,
Eſſetque è calidà nimis fauillà
Ad Cælum facilis gradus ſerenum.
Ante ſed rigidà manu reuulſo
Exarmat niueo ſua ora dente.
Nempè proijcit ore margaritas,
Soluat vt pretium necis cupitæ:
Aut ornet thalamum, ſinumque Sponſæ
Virgo edentula candidis lapillis.
Imago hæc tua, Mutiane, nunquam,
Dentes deciderint licet, ſeneſcet,
Hinc & perpetuo perennet æuo
Tuæ clarus honor, decuſque famæ!

CIRCVMCISIO INFANTIS DEI

Eiuſdem Mutiani apud Patres S. IESV.

EPIGR. LXVII.

NOn dum Virgineæ Puer arripit vbera Matris,
Et iam puniceo ſanguine membra madent.
Matutina rigat roſeo ſua lilia rore,
Nectit & ambroſijs alba liguſtra roſis.
Tu Puero lenire Deo ſcis vulnera, Pictor,
Te pingente, parum, vel nihil ille dolet.
Nam facili, dextraque manu ſic pingis, vt acre
Sentiat haud vulnus lacteus iſte Puer.

VIRGINIS PARTVS

Eiuſdem Mutiani in D. Mariæ à Montibus.

EPIGR. LXVIII.

BEthlemi hæ rupes, hæc ventis peruia tecta,
Hæ ſtipulæ horrentes, hæ paleæque leues;

Hæc pro faſciolis tenui velamina filo;
Hæ cunæ, hæc cultu pauperiore Parens:
Eſt hæc digna aſtris, naſcente & Sole ſupellex?
Sunt iſthæc tenero munera digna Deo?
Ipſe ſed exoritur qui, intecto Numine, terris,
Lacteus ipſe Infans hæc pretioſa facit.
Adde hæc Artificis, tabulæ & miracula; naſci
Non potuit cultu ſplendidiore Deus.

SALVATORIS CHRISTI EFFIGIES.

Apud Spiritus Sancti Moniales, à Card. Riario illis dono data: ac fama eſt, ante cladem Borbonicam fleuiſſe.

EPIGR. LXIX.

NVmen in hac ſpirat tabulà: latet auctor: at illã
Dixeris ætherei nobile Amoris opus.
Dum tibi, Roma, ferox Borbonicus imminet enſis,
Et terret clades te propiore metu;
Vera fides: lachrymis doluit Seruator obortis,
Fletibus, & triſtes immaduere genæ.
Sæpiùs abſterſit labentes carbaſus imbres,
Cùm noua manaret lachryma rore nouo.
Ingentem gemuit cladem: ſed acerbiùs illa
Crimina, quæ cladem commeruere tuam.
Noxas Ille tuas flet picta in imagine: pro te
Tu reus in lachrymas non tua corda liquas?

DEIPARAE ſine labe Conceptus.

Caroli Maratti in D. Iſidori Templo.

EPIGR. LXX.

NOn dum, Diua, caput vitalibus exeris auris?
Cum pede magnanimo parta trophæa refers.

Limi-

Limine nam primo vitæ fera colla Colubri
  Pluſquàm tu Herculeà vi generoſa teris.
Hinc tua non quercus, non laurus tempora cingunt;
  Præmia victrici ſplendidiora damus.
Textilis aurato qui Sol te veſtit amictu,
  Quæque caput lambunt Sydera, Luna pedes;
Iſte triumphalis poſt inclyta prælia cultus;
  Hæc palmata chlamys, textaque ſerta comis.
Falleris at, Pictor: non æquant præmia palmam;
  Pinge ipſam; ſola eſt integra pompa ſibi.

SALVATOR AD COLVMNAM.
Sebaſtiani à Plumbo in Templo D. Petri in Monte aureo.

EPIGR. LXXI.

QVisquis in immenſos non ſoluit pectora fletus
  Hic vbi flagra Dei corpora nuda ſecant;
Dirior aut tigri, aut hac durior ille columna eſt;
  Cordaque ſunt Scythicà frigidiora niue.
Aſpice ſanguineo rorantem hanc imbre columnã;
  Nempè & pro Domino fletibus illa madet,
Artificem miror potuiſſe hæc pingere dira
  Flagra, nec exanimem diriguiſſe manum.
Plumbum at Pictor erat: doleat videlicet auctor
  Plumbeus? hinc certè haud languit illa manus.

Deponitur de Cruce DOMINVS.
Annibalis Caraccij in D. Franciſci ad Ripam.

EPIGR. LXXII.

DIro refixus ſtipite en liquit Crucem
  Cruentus, exanguis Dominus, haud vulnere
Exhauſtus vno, mortem & expertus trucem.

Non ore lilia, verna non genis roſa ;
Triſti nec aſtra fronte ſplendeſcunt : vepres
Caput aureum duri coronant , aureus
Squalet capillus, ſanguine imbutus rubro .
Ceruix reclinis pendet. Ille candidus ,
Ille rubicundus , lectus & ex millibus ,
Ille voluptas Patris , & rerum nitor ,
Palleſcit , horret ; abijt & formæ decus ;
Mater ſuo , nec amplius Mater , ſinu
Mortis trophęum hoc excipit miſerabile .
Heu, quale funus ſoluit : heu, quantis genæ
Maduere lachrymis, flentibus aſtris ſimul .
Horret videre hanc Numinis ſtragem ſui .
In Sobole vix Sobolem videt : placet tamen
Per ora plena mortis ire , & per ſacrum
Pectus , verendum & corpus omne dulcibus
Rigare lachrymis , adorare oſculis .
Hos Matris affectus pios tabula hæc breuis
Scitè repręſentat : Caraccius ſui
Aeui Timantes fecit ; vmbrari at leui ,
Olim vt Timantes ille , velo noluit :
Latere nempè opus inclytum , indignum foret .

D. ISIDORVS COLONVS.

Andreæ Sacchi in Diui Iſidori Templo.

EPIGR. LXXIII.

RVſticus hic ille eſt , campis qui ſueuit Iberis ;
Magnum orare ſimul Numen, arare ſolum .
Tellurem, Cælumque colit : dum tractat aratra,
Peruigil, aſtra ſibi fertiliora facit .
Colligit huic pietas dulces è vepribus vuas ,
Manat lacte Ilex aſpera , melle ſilex . (nâtis
Murmuret hinc amnis, canat hinc Philomela, To-
Diuum æquè laudes ille, vel illa docet .
Rure nec acris hyems, nec lædit Sirius ardens ,
Acrior in grandi pectore flamma calet .

Sacche,

Sacche, vales arte: nouit tamen iſte Colonus
Hoc opus incultà fronte polire tuum.

PRAESENTATIO D. VIRGINIS in Templo.

Balthaſſaris Senenſis in Templo Pacis.

EPIGR. LXXIV.

IMmatura viro, Cælo eſt matura, ſacriſque,
Siſtitur & primo flore Puella Deo.
Conſcenditque alacri pede templum viribus impar;
Scilicet, æuo infans, indole grandis erat.
Annos nempè præit virtus: infantia ſerum
Ante diem tanta in Virgine conſenuit.
Vni nunc templo famularis, Pupula; at olim
Orbis mille tibi templa ſuperba dabit.
Magna eſt vel parua hæc Virgo: tuq; optime Pictor,
Semper in exigua Virgine magnus eris.

CHRISTI DOMINI CVNABVLA.

Raphaelis Vrbinatis opus apud Patres D. Ioannis Calybitę.

EPIGR. LXXV.

HIc Matrē, hìc cernis Puerū: at miracula mille
Dant tibi ſpectanda hæc Mater, & iſte Puer.
Nectitur hìc Virgo, & Mater: fœcundaque Virgo
Natum, haud exutà Virgine, mater alit.
Qui dat iura æuo, labenti antiquior æuo,
Hìc ſubit occidui temporis ecce vices.
Qui tonat, hìc vagit: torquet qui fulmina Cęlo,
Blandulus hìc tractat ſpicula amoris Amor.
Faſciolæ ſtringunt, qui cuncta infraque, ſupraque
Numine tergemino ſummaque, & ima replet.
Hìc propè delicias Cæli ſtat lachryma Nati;
Stat cum regifico Numine Numen inops.

Tu

Tu perge: atque inter tot mira ingentia cenſe,
Quiſquis es, excellens hoc Raphaelis opus.

D. VERONICAE VELVM.

Vaticano in Templo.

EPIGR. LXXVI.

SYdera qui frænat nutu, ad lachrymabile lethum
Dum rapitur, mortem portat & ipſe ſuam;
Se pingit, vultuſque ſuos diuinus Apelles;
Exanguem & referunt vela cruenta Deum.
Textile tu Domino præbes, Veronica, velum:
Velum erat, at rediјt viuida imago Dei.
Conde ſinu; ad niuei ſuſpende & pectoris aram;
Sit pro flagranti lampade cordis amor.

D. CAIETANVS THIENAEVS graſſanti occurrit peſtilentiæ.

Hyacinthi Prandi apud CLEMENTEM Pont. X.

EPIGR. LXXVII.

INtrepidè quam dira lues ſtragem edit acerbam,
Qui videt, ille tegit duro adamante ſinum.
Extincti hinc feriunt oculos; hinc flebilis aures
Vox ferit; ipſe animos horror & exanimat.
Vecta triumphali feretro mors improba, faſtu
Ambulat, horrentes itque, reditque vias.
Mixta cadaueribus ſtant corpora viua: ſepulchrũ eſt
Quæque domus: fora ſunt funus, & inferiæ:
Caietane, luem frænas: tu, Prande, luemque,
Et Caietani dona colore refers.
Tam bellè at dextrà moribundos exprimis, vt iam
Quiſque putet pretium, ſic potuiſſe mori.

DEI-

DEIPARA ambulare docet Puerum IESVM.

Raphaelis opus apud Suetiæ Reginam.

EPIGR. LXXVIII.

SE ſe moliri lentè, greſſuſque mouere,
Edocet hic Puerum candida Virgo ſuum:
Is, qui cuncta mouet nutu, & dat cuncta moueri,
Alternis diſcit paſſibus ire Puer.
Cauta regit Mater teneri veſtigia Nati,
Ne rudis inſueto cæſpitet ille pede.
Dat Raphael motum Puero, magnæque Parenti
Curam auget, ſtudio ſollicitamque facit.
Ingenio hinc tanti Artificis; dum ſtare putamus;
Ille mouere gradus diſcit, & illa docet.

PVER IESVS lignariam exercet cum D. IOSEPHO.

Tintoreti apud eandem Suetiæ Reginam.

EPIGR. LXXIX.

QVi Puer hic tenera tractat fabrilia dextrà;
Regum, ſi neſcis, eſt, ſoboleſque Dei.
Ille faber mundi, vaſtam compactilis Orbis
Molem qui ſtruxit nutu, agilique manu;
Alnos ille ſecat, ſerramque reciprocat: Ille
Diſcit Ieſſæo ligna dolare Patre.
Aſpicis? it roſeos per vultus ſudor, & auro
Dulci flauentes immaduere comæ.
Vrget amor Puerum: ferro, lignoque libenter
Ante diem molles atterit ille manus.
Olim fronte hilari fabrilem exercuit artem
Sydereum Numen, nec rude temnit opus.
In tabulà, Titiane, tua tam nobili eandem
Artem qui poterat temnere Numen idem?

IAEL Siſaram clauo perimit.

Tintoreti apud eandem Reginam.

EPIGR. LXXX.

VIdes virilem fœminam, lacertis
Nudis ferocem, turbidaque fronte?
Suo vides & hìc cruore merſum
Ducem ſuperbum, pallidoque vultu?
Hæc illa Iael incitata Cælo,
Quæ dormientem dulciùs, ſopore
Dormire fecit Siſaram perenni.
Non ære forti roborata pectus,
Stipata dirè aut militum phalange;
At ſeminudis brachijs acuto
Munita clauo, malleoque duro
Virago fortis ſola ſtrauit vno
Ictu feroces hoſtium cohortes,
Dum figit vnum Siſaram ſopitum.
Volſca an Camilla fortiore dextrà
Tantum tuliſſet nobilis triumphi?
Iaelis inclytę vetus trophæum
Inſtaurat arte Pictor, & triumphos
Priſcos adauget hìc nouis triumphis.

PILATVS manus abluit.

Andreæ Sacchi apud eandem Reginam.

EPIGR. LXXXI.

QVis Tanais, trifiduſq; Padus, Rhenuſq; bicornis
Ablueritnoxam, dire Pilate, tuam?
Qui capitis Numen damnas venerabile, tantum
Tu ſcelus exiguà mergere credis aqua?
Peruaſit penitus crimen, teque intus, & extra
Commaculat; digitos ſat reluiſſe tibi eſt?
Proluat Oceanus; vaſtum teque obruat æquor;
Tot pelagi fluctus non ſatis Aethiopi.

Ablu-

Ablutus ſordeſcis adhuc; Pilate, nitoris
Si quid habes, Sacchi dat tibi culta manus;

D. BARTHOLOMEO detrahitur pellis.

Guidonis Rheni apud eandem.

EPIGR. LXXXII.

NItitur immitis lictor dum demere Diuo
Intrepido pellem vi, rigidaque manu;
Illum pelle ſua ſpolijs velut ornat opimis,
Et retuliſſe fero ex hoſte trophęa docet.
Sic olim Nemeæ domitor, Tyrintius Heros
Fulmineam fudit, perdomuitque feram.
Vtque trucem oſtendat nemorũ ſtrauiſſe Tyrannũ;
Victor fert humeris tergora fulua ſuis.
Viciſti nouus Alcides, palmamque decoris
Exuuijs ornas quàm bene, Diue, tuis.
Hinc Guido hęc pingat: pelléq; hinc detrahe, lictor:
Pelle quidem, haud ſpolijs, Diue, carere potes.

Magi CHRISTVM adorant.

Pauli Veronenſis apud eandem Reginam.

EPIGR. LXXXIII.

QVem rerũ cumulũ magnarũ hæc picta figurat
Tela! quot à docto mira colore vides!
Virginis in gremio, Cælo qui ſydera frænat,
Colludit roſeo lacteus ore Puer.
In cultu Attalico Infantis veſtigia Reges
Lambunt, prono & vultu, animoque colunt.
Auricomum Cælo ſtat ſydus penſile: nempè
Regibus hæc lampas duxque, comeſque fuit.
Tùm fluit hìc totus prædiuite gurgite Ganges,
Multaque Orontæo è germine myrrha fragrat.

Fra-

Fragrant & molles quæ mittunt thura Sabæi :
Scilicet, hæc Reges dant pia dona Deo .
Voluitur huc illuc mens mirabunda : ſed vnam
Artem hic demiror iure ego, Paule, tuam .

CHRISTVS in Cruce pendens adhuc viuus.
Titiani apud eandem Reginam.

EPIGR. LXXXIV.

CErnis vt æternum ſtet diro in ſtipite Numen?
Exhauſtus quamuis ſanguine, ſpirat adhuc.
Cur non vita abijt poſt vulnera mille ? ſagaci
Ingenio prohibes an, Titiane, tuo ?
Quamquam nempè velit mors deproperare cruēto
Triſtia fata Deo ; tu, Titiane, vetas.
Sic pingis nanque, vt viuat, quod pingis ; & ipſe
Neſcit vitalis non animare color.
Hinc mors bis victa eſt: vicit moriendo Redēptor;
Vincis & in tabulis, tu, Titiane, tuis.

CAROLI QVINTI CAESARIS Equeſtris effigies.
Titiani apud eandem Reginam.

EPIGR. LXXXV.

CArolus hic belli fulmen : quæ pectore Martis
Vis inerat magno, generoſo fulgurat ore :
Cernitur & vultu vis imperterrita, & ardor
Indolis auguſtæ. Dextrà ſtat tortilis haſta :
Certius at telum, rigidà qui fronte coruſcat,
Terror erat, vultus & nobilis ira minacis.
Agnoſcit ſonipes grandis quinam inſidet Heros,
Et ſua fræna regit : Riphæas ſpumat anhelo
Ore niues; flammam tumidis & naribus efflat :
Et ſimilis Domino iam bellum poſcit, & hoſtes,

Quos premat, atque oculis vibratus terreat ignis.
Magnanimum Auſtriadē finxit Titianus, vt olim
Pellæum armatà Phlegręo fulmine dextrà
Cous Alexandrum tabulà depinxit Apelles.
Maior Alexandro cum ſit ſed Carolus ipſo,
Magnus maior erit Coo Titianus Apelle.

NERVAE CAESARIS EFFIGIES.

Titiani eiuſdem apud eandem Reginam.

EPIGR. LXXXVI.

AVguſto Auguſtus ſuccedis, mitis acerbo:
Ille tigris; facili tu indole, Nerua, Pater:
Blandus nempè tuis; ſed durus es hoſtibus hoſtis;
Tortaque Romuleus Iuppiter arma vibras.
Rerum mole graui tandem defeſſus, & æuo,
Alcidi pondus das graue ferre tuo.
Ingentes cum ſceptro animos das, Nerua; ter ampli
Mundi & Traiani è pectore fræna regis.
Dat tabulis, Titiane, tuis quid nobile Nerua:
Spirat at è tabulis altiùs ille tuis.

TRAIANI CAESARIS EFFIGIES.

Eiuſdem Titiani apud eandem.

EPIGR. LXXXVII.

CAeſar hic Heroum flos eſt, & gloria; Romæ
Quem Tagus, vt regeret fræna Latina, dedit;
Fræna regit dextrà, quam Dacia victa, feroxque
Sarmata, & indomiti pertimuere Getæ.
Dextra eadem, poſito Tarpeio fulmine, iuſta
Lance ſuis populis debita iura librat.
Nec curta hæc eadem: fuſo nam pronior auro,
Quantumuis auido pectore maior erat.

Traianum, cui larga manus, tu reddere auarum
Ingenio poteras, ò Titiane, tuo.
Nam quicquid pingis cùm ſit pretioſius auro;
Vni hoc vnum auidè vellet habere ſibi.

COMMODI CAESARIS EFFIGIES.

Eiuſdem apud eandem.

EPIGR. LXXXVIII.

COmmode, iure tuum tibi nomen contigit, Vrbi
Romulidum quando commoda mille paris.
Tu facilis, larguſque, & ſeruantiſſimus æqui;
Tu bello, abiecto & fulmine, pace bonus.
Magnum illud: ſtricto propiùs ſtant agmina ferro;
Teque, tuaſque acies vexat anhela ſitis.
Nec mora: dum pluuius Cælo te recreat imber,
Cælum hoſtes dirà grandine, & igne petit.
Hinc eadem nubes infeſta, & fauſta, phalanges
Fulmineo & telo perdit, & imbre beat.
Non operam perdis, Titiane, in Cæſare tanto:
Expreſſiſse ora hæc, eſt labor, & pretium.

DIANA Actæonem in Ceruum mutat.

Eiuſdem Titiani apud eandem Reginam.

EPIGR. LXXXIX.

IT ſyluis, agiles feraſque anhelus
Dum fidis agitat ſuis moloſſis
Cadmęus Iuuenis: rapi volucri
Curſu contigit, algidus reductam
Fons vbi vitreis amœnat vndis
Vallem. Hic ſyluipotens Diana, curuo
Arcu ſepoſito, ſinuſque nuda,
Niuem corporis eluit pudici.
Ergo Actæona dum videt decora

Virgo,

Virgo, exhorruit; aſperaque fronte
Intentare minas, ſimul procácem
Quo telo potuit, ferire viſa.
Vndas eiaculata nempè, dirè,
Vnda vindice, mulctat intuentem.
Mutatà ſiquidem repentè formà,
Venator volucrem induit figuram,
Vagi & cornua flexuoſa cerui.
Hinc ſui miſerum canes acuto
Diſcerpunt, laniant, necantque dente;
Diſce ab intuitu abſtinere, diſce
Vultus temnere Virginis: monet te
Sic Pictor, fera ne repentè fias,
Tua & te laceret cupido dira,
Et priſcus redeat furor Dianæ.

VENVS ſe contemplatur in ſpeculo, quod ſuſtinet Cupido.

Titiani apud eandem.

EPIGR. XC.

VT vultus Citherea ſuos emendet, & ornet;
Ambroſio & veneres augeat ore Venus;
Conſulit attentè ſpeculum, obiectatque Parenti
Illud Acidaliæ Cyprius ipſe Puer.
Accipit hinc refluus leges, & fræna capillus:
Additur hinc niueis purpura viua genis.
At quid, vana Venus, perdis quid inutile tempus?
Compenſent longas hæc documenta moras.
Scilicet, hoc diſce à ſpeculo: pulcherrima forma,
Si neſcis, fragili huic par, ſimiliſque vitro eſt.

MERCVRIVS legere AMOREM docet, præſente Matre.

Titiani apud eandem Reginam.

EPIGR. XCI.

PErlegere hìc diſcit Soboles pharetrata Diones:
Conſpicit ipſa Venus, Mercuriuſque docet.
Fronte graui Puerum Cyllenius inſtruit: ipſe
Qui diſcit, pauido cernitur ore Puer.
Quid lepidà hac tabulà tibi vis, Titiane? tot artes
Qui nouit, diſcit nunc elementa Puer?
Sceptro quique ſuo terris dominatur, & aſtris,
Quì rudis eſſe poteſt ingenioſus Amor?
At fuge, belle Puer, fuge diſcere; fœda deinde
Ne Paphiæ Matris, ne tua probra legas.
Qui peccant homines, in Vos ſua crimina torquent:
Et Venus, & calamo dilaceratur Amor.

DANAE imbrem excipit aureum.

Correggij apud eandem.

EPIGR. XCII.

QVam cernis ore candido venuſtam,
Auroque bellè tortili comatam,
Niue atque amictam textili, coruſcis
Et fulgurantem ſplendidè ſmaragdis;
Hæc illa, Acryſius Pater quam ahena
Incluſit arce; vincta nuptiali
Ne lege Virgo nuberet, ſinuque
Ne parricidas funderet marito.
Vectes ſed æneos, feraſque duras
Luſit Tonantis Numinis Cupido.
Cernis? micante guttà diues imber,
Aurumque fuſile impluit cubili.
Latet ſub imbre Iuppiter doloſo,
Fuluoque rore fuſus, hinc decoram

Lydo

Lydo Puellam decipit metallo.
Effinxit hæc Correggius, docetque
Auro patere ærata ſepta, & auro
Nil arduum, aut imperuium volenti.
Quo nanque iter non ducit, ibit aurum;
Veſtro hinc cauete, Virgines, pudori.
Eſt dira clades, improbique amoris
Eſt acre telum, quod videtur aurum.

D. SEBASTIANVS.

Guidonis Rheni apud eandem Reginam.

EPIGR. XCIII.

QVis ſit hic intrepidus Iuuenis, truncoq; reuin-(ctus,
Multa ſinu forti fixa ſagitta docet.
Traiectum externum pharetrato à milite pectus:
Pectus at arcanum cuſpide fixit amor.
Vtraque pugnaci ſunt dulcia vulnera Diuo:
Sauciet ille intus, ſauciet ille foris.
His petitus telis, vinctus licet, ocyor euris,
Hic fontem volucris Ceruus, & aſtra petit.
Quæ ſiquidem volat è pharetra, pennata ſagitta eſt,
Hinc celeri pennas mutuat illa fugæ.
At roſeo quot, Rhene, ſinu tu vulnera figis,
Tot facunda aperis laudibus ora tuis.

ECCE HOMO.

Tintoreti apud eandem.

EPIGR. XCIV.

POſtquam opus expleſſet pingẽdo Côus Apelles;
Mos illi, tabulas expoſuiſſe palam.
Quid deerat, dextrà quid tum peccaſſet, & arte;
Diſcere non vno iudice poſſe putat.

Tu veprum ſertis, probriſque, & vulnere multo?
Dirum opus expleſti, dire Pilate, tuum.
Das luci: doceat vulgus, quid denique demas,
Quidue addas, tantum vt perficiatur opus.
Ille deeſſe crucem, clamatque, vrgetque: moráque
Nullà, addis duram, dure Pilate, crucem.
Hanc ipſam exponis nunc, Tintorete, figuram:
Impius at nullus clamitat Iſacides.
Qui videt, artificem mirè dilaudat; & addi
Hìc nihil ingenij poſſe, nec artis, ait.

DEIPARA PIETATIS.

Pauli Veronenſis apud eandem.

EPIGR. XCV.

HAeret, & addubitat Genitrix mœſtiſſima, Natus
Sitne ſuus, triſti quem tenet ipſa ſinu.
Ille hic dulcis amor Matris? mea vita, mea & lux?
Et Pater, & Soboles, deliciæque meę?
Aureus hic vertex? hæc nobilis Iris amęno
Picta ſupercilio? hæc aſtra fuere oculis?
In ſobole haud ſobolem agnoſco: non aurea Nati
In Nato ſpecies: nil habet ille ſui.
At quæ fędauit rabies inimica furentum,
Quid mirum, ſi non nouerit ora Parens?
Mirum eſſet, Paulus ſi quę mira arte figurat,
Hæc modò non eadem noſceret ora Parens.

CHRISTVS rediuiuus Magdalenæ: Noli me tangere.

Corregij apud eandem Reginam.

EPIGR. XCVI.

ACri Magdalis incitata flammà,
Fuluas fuſa comas, genaſque fuſa
Vbertim lachrymis, putat ſepulcro

Ere-

Ereptos vacuo ſuos amores.
At dum collachrymat, Sinu & refuſum
Paſcit queſtubus intimum dolorem;
Quem flebat, Dominum videt repentè,
Spirantem roſeo micare vultu.
Gratatur: redijt ſerena fronti
Iris: procidit, vt pedes beatos
Suis pronior oſculis adoret.
Ille ſed prohibet, vetatquè tangi,
Et veſtigia denegat roganti.
O ſemper lachrimis nouis tepentem
Diuam, quem nimiùm videre geſtit,
Ablatum dolet, & dolet repertum.
Hæc Correggius inclytus figurat:
Et quæ Magdalis angitur, quod ore
Libare haud valeat ſuaue Numen;
Gaudet, quòd valeat ſuaue Numen
Hac ſemper tabulà videre, pulchrè
Quam Correggius inclytus figurat.

VALENTINI DVCIS EFFIGIES, educentis è vagina enſem.

Eiuſdem Corregij apud eandem.

EPIGR. XCVII.

CErno Valentinum, toruaquè in fronte ſuperbũ
Noſco ſupercilium, martia & ora Ducis.
Qui mores illi, qua ferbuit indole pectus,
Turbida lux oculis, vultus & ipſe docet.
Stat manus ad capulum: cernis? iam fulgurat enſis;
Fulmine & hoc Latium ſe putat eſſe Iouem.
Italiam hinc miſcet, nihil & non arrogat armis:
Cæſar erat, ferro Cæſar & eſſe cupit.
Deſtituit fortuna virum, dum tollit in altum
Aera: nunc Cæſar, nunc fuit ille nihil.
Sit nihil: at pingat Correggius; arte videtur,
Illum fortunæ reſtituiſſe ſuæ,

P. SCIPIONIS AFRICANI
Maioris continentia.
Petri Pauli Rubens apud eandem.

EPIGR. XCVIII.

SVb galeà, haſtatumque vides florentibus annis
Scipiadem, eſt roſeo martius ore vigor.
Stat propiùs formà ſupplex pulcherrima virgo,
Pro ſpolijs forti ducta puella Duci.
Aeſtuat an Iuuenis formosà Virgine visà?
Illam an delicijs deſtinat ipſe ſuis?
I procul, i Cypridis Romano à pectore flamma:
Illibata Patri pulchra Puella redit.
Qui ſic ſe vicit, Numidas poſt vicit: at iſtà
Palmà quàm longè eſt palma Africana minor?
Excellens hac arte Rubens hic edocet, acri
Quod ſemper Marti non ſit amica Venus.

HERODIAS D. IO: BAPTISTAE
caput manu tenens.
Georgioni opus apud eandem.

EPIGR: XCIX.

SAltantis pretium tenet Puellæ
Manu ſacrilegà ſceleſta Pellex.
Ceu ſeptimgeminæ abſcidiſſet hydræ
Multiplex caput, it ſuperba ſacro
Vno hoc fœmina vertice imminuto.
Dum natalitium diem celebrat
Feſtis Rex epulis, gemuntque menſæ,
Lautis lancibus impares, & aureis
Spumant feruida poculis phalerna;
Vnam è tot dapibus dapem, verendum
Diui nempè caput ſibi profana

Pellex

Pellex ſepoſuit. Sapit palato
Eſca hæc lautior; hac & impudica
Inceſtos aluit ſuos amores.
Spirant, ingenua & loquuntur ora
Georgioni ingenio, manuque docta.
Sed qui cœcus Amor, tuas & aures
Surdas reddidit, audias diſertum
Ne Vatem: ignea nanque lingua mœcum
Verbis verberat aſperis amorem,
Et quæ dira calet ſinu libido.

SAVL ſuæmet haſtæ incumbens.

Iulij Romani apud eandem.

EPIGR. C.

PRona fronte Saul, animaqne laborat anhela;
Haſtam lethiferam dum premit ipſe ſuam.
Hoſtes nempè timet victus, rigidaſque catenas,
Seque ſuà profugus conficit ipſe manu.
Aſpicitis? ſciſſum per pectus vulnere ſæuo
Tranſilit, & tergum lancea dira fodit.
Irrogat ipſe ſibi pœnam, vindexque, reuſque:
Poſſet qui melius plectere, nullus erat.
Exprimis at meritò, Romane, hoc flebile fatum;
Poſſet qui melius pingere, nullus erat.

MILO CROTONIATES à feris diſcerptus.

Eiuſdem Iulij Romani apud eandem.

EPIGR. CI.

ME fera dilacerat meritò: nam viribus auſus
Plus nimio, fata hæc aſpera promerui:
Robora quìd nudis tentem Rhodopæa lacertis?
Qui poterat quercus findere nuda manus?

Me

Me vires luſere meæ, manibuſque reuinctus,
En pœnas, trunco vindice, iure ſuo.
Hoc doleo: Pictor renouet quòd funera noſtra,
Meque iterum ſæuo dente leæna petat.
Parco tamen: grandi nanq; hinc Romanus Apelles
Ingenio, clarum hoc edidit artis opus.

APOLLO MARSYAE pellem detrahit.

Polydori Carauagij apud eandem Reginam.

EPIGR. CII.

QVi ſolitus facili fila aurea tangere Phœbus
Pollice, & Aonijs plectra mouere modis;
Nunc poſitâ citharâ, Phœbo & mutatus ab illo,
Audacem dirè vindicat ecce Phrygem.
Nanque auſus lituo contendere, Marsya, pęnam
Detractâ meritam pelle, ſuperbe, luis.
Eſt operi intentus Tymbræus lictor, & artus
Excoriat, ferro vindice ſæua manus.
Queſtubus infelix ferit aſtra, atque intonat aures:
Mutam ipſam tabulam vociferare putas.
Marsya promeruit pœnam: tu grandia, Pictor,
Præmia, quod pęnam hanc exprimis egregiè.

PROSERPINAE RAPTVS.

Guidonis Rheni apud eandem.

EPIGR. CIII.

AEtnęas pede libero
Dum per florigeras candida ſyluulas
It Proſerpina lætiùs,
Sicanæ Cereris filia nobilis:
Et nunc Puniceas roſas,
Nunc molles violas, canaque lilia

Puris

Puris demetit vnguibus ,
  Crines flore nouo pingat vt aureos ;
Vultu toruus amabili ,
  Et ferrugineis crinibus horridè
Cultus , Rex Acherontius
  Erupit tacitus ſedibus Inferis ,
Vectus nube volubili .
  Quà Virgo calatho diuite colligit
Gazas veris Hymettij ,
  Floræ & purpureæ munera florea ,
Vmbrarum Dominus ruit :
  Iniectique manu, nec mora , corripit
Inuitam , lachrymabilem ;
  Diſciſſamque comas ocyùs auehit :
Sponſamque Elyſij thori ,
  Reginamque Herebi deſtinat Imperi :
Pulchram Sicelidis Deæ
  Natam Tænarius Dis rapit vnicam :
Tu , Pictor , tabulà hac tua
  Inſigni attonitos centum oculos rapis .

EVROPAE RAPTVS.

Eiuſdem Rheni apud eandem .

EPIGR. CIV.

ARdet Agenoridem pulchro nimis ore Puellæ
  Iuppiter : haud flammam ſuſtinet ille ſuam .
Vt rapiat , Numen poſuit , vultuſque Tonantis,
  Et latuit placido ſub boue forma Iouis .
Quæ per prata roſas carpit Sidonia Virgo ,
  Vt videt, vt lepidum viſa adamare bouem .
Blanditur , pingit violis , calthiſque coronat
  Luteolis ; ornat neſcia Virgo dolos .
Nec mora : correptam Taurus dorſo excipit; itque
  Trans mare Cornigero grata rapina Deo .
Ingemuit , ſcinditque comas Europa : quis illam
  Audiet ? an diro ex æquore ſurda Thetis ?

Muſa olim hæc finxit, pinxit nunc Rhenus: adornat,
Dic age, quis raptus, Ille, vel Illa magis?

MARS, ET VENVS in eadem Tabula.

Titiani apud eandem Reginam.

EPIGR. CV.

HAec Venus, hic Mauors: vultus quàm diſpar (vtriq;
Illa placet, fronte at territat ille truci.
Igniuoma eſt Marti caſſis; crinale ſed aurum
Fulget Acidalijs, luxuriatque comis.
Huic molles ſtant ore roſæ, ſtant mixta liguſtris
Lilia: terrificant Martis in ore minæ.
Mirare hac tabula Titianum: hinc Cypride amœnat
Picturam; Marte hinc aſperat ille ſuam.
Aequo diſce animo miſcere hæc Numina: læta,
Aſpera magnanimo pectore ferre ſcias.

REBECCAE ad fontem comitas.

Pauli Veronenſis apud eandem.

EPIGR. CVI.

FAllimur? an, Pictor, formoſa hæc illa Rebecca
Abramidæ ſocio lecta puella thoro? (eſt,
Vernant ore roſæ; niueus ſtat fronte pudica
Candor, & ambroſijs gratia fuſa genis,
Eſt comis, faciliſque manu: ſitientibus offert,
Hauſtamque è gelido fonte propinat aquam.
Humanam noſce hinc: animantum guttura anhela,
Imbribus affuſis, & recreare vides.
Hæc ni muta eſſent animalia, ad aſtra Rebeccam
Laudibus efferrent, Artificiſque manus.

HER-

HERCVLES
Petri Pauli Rubens apud eandem.
EPIGR. CVII.

QVi toruum Alcidem fingis, molemq; toroſi
Corporis, horribilem clauigeràque manu;
Cur non monſtra, Rubens, appingis victa? cruentus
Cur leo? cur non hic Lerna ſubacta iacet?
Alcidi hæc potior quercus, lauruſque ſuperba,
Anguis, cerua, draco tortilis, hydra, leo.
Ergo hæc pinge, Rubens: namq; artis nobile mõſtrũ,
Debuit hæc doctà pingere monſtra manu.

D. STEPHANVS.
Annibalis Caraccij apud eandem.
EPIGR. CVIII.

CHriſtiadum hic pugilũ princeps, cui laurea pri-
Ante coronatus nomine, quàm lapide. (ma,
Ornat nanque caput cum ceu gemma Indica ſaxũ;
Iam Diuo ſertum nobile, nomen erat
Additur hinc ſertum ſerto dum ſaxa cruentant:
Qui iacitur, gemmas congeminatque lapis.
Debuit haud vno ſiquidem diademate cingi,
Sanguine qui fuſo, prima trophæa tulit.
Caracci, eſt Stephano fidei victoria prima;
Inter Pictores gloria prima tua eſt.

B. LAVRENTIVS IN IGNE.
Pauli Veronenſis apud eandem.
EPIGR. CIX.

QVæ Diuum torret, non terret flãma, ſed auget;
Quam ſuaue arcano in pectore Numen alit,
Aeſtuat intus amor, flagrantior ignis & ignem
Dum frangit, vernans extera flamma roſa eſt.
Hinc

Hinc mutare latus petit inſuperabile, vt ipſas
  Flammæ delicias libet vtrumque latus.
Ambroſium hunc ignem, viua hæc ſolatia flammæ;
  Diui frontem alacrem quàm bene, Paule, refers!
Viuere qui nequijt priſco Laurentius igne;
  Gaudet nunc flammis viuere poſſe tuis.

D. ISIDORVS AGRICOLA.

Guidonis Rheni apud eandem.

EPIGR. CX.

VT tacitâ tibi mente vaces, Iſidore; Deoque,
  Aligero ſtiuam cedis, aratra, boues.
Agricolæ munus nec ſegniùs arripit ille;
  Nec refugit Solis tela, hyemiſque gelu.
Quàm benè nunc ſtimulis vrget, nũc voce iuuencos!
  Vomere quàm recto tramite ſcindit humum!
Mutanturque vices: Iſidorus, rure relicto,
  It Cælo; hic Cælum liquit, & arua colit.
Orantem hunc pingis, Guido, hunc & pingis arantẽ:
  Hic aret, hic oret; pingis honore pari.

D. ELISABETHA Luſitaniæ Regina.

Eiuſdem apud eandem Reginam.

EPIGR. CXI.

EDita Aragonijs felici Regibus ortu,
  Luſiadas thalamo compare Diua beat.
Nil forma eſt curæ: Regina eſt moribus aureis,
  Nulla ſed in cultu paupere gemma micat.
Vindicat innocuos artus, raptimque quieſcit:
  Sunt & pauca ceres fercula: fonte bibit.
Illam paſcit amor diuino nectare: paſcit
  Nudos ipſa inopes vberiore ſinu.

Omni-

mnigena hæc virtus hoc vultu lucet: in ore
Multa breui ſolus pingere, Rhene, potes.

TOMYRIS CYRI CAPVT in ſanguinem mergit.

Rubens apud eandem.

EPIGR. CXII.

AEre graui, grauiore ira generoſior ardet
Pluſquā vir Tomyris, feruida & arma mouet.
n Cyrum fertur: Scythiciſque phalangibus hoſtem
Frangit, & inuiſum diſſecat enſe caput.
Nec ſatis iratæ colla abſcidiſſe: ſuperbum
Sanguine nam merſit terque quaterque caput.
Quem nimiùm, dixit, Rex illaudate, ſitiſti,
Imbuat infauſtus guttura anhela cruor.
rte Rubens doctà pulchrè tantum exprimit iræ:
Illa rubet Cyri ſanguine, & ille ſuo.
ama ingens, Regina, tuo tibi creuit ab hoſte:
Maior at egregià ſurgit ab hac tabulà.

ASSVERI CONVIVIVM.

Carauagij apud eandem Reginam.

EPIGR. CXIII.

IActet Achemenias vt opes, faſtumq; ſuperbum;
Apparat has menſas ambitioſa gula.
Rex ille Aſſuerus, gemmà Garamantide fulgens;
Hi flos Medorum, & gloria prima Ducum.
Nil reliquum ſyluis: populatus & aera luxus
Hìc fumat; totus fumat & Oceanus;
ſuccedunt epulis epulæ: poſt fercula mille
Lancibus inferri fercula mille vides:
Exilit è cyathis vindemia Chia capaci,
Largiùs exundant vina phalerna vitro.

Deli-

Delicias quæ nempè Sacri menſa exprimit Agni,
Debuit omnigenà luxuriare dape.
Rex epulis oſtentat opes: tu pingis eaſdem,
Oſtentes artem, Pictor, vt ipſe tuam,

REGINAE VASTHI CONVIVIVM.

Eiuſdem apud eandem.

EPIGR. CXIV.

REgis ad exemplar viden, vt Regina decoras
Excipiat mensà diuite mille nurus?
Illa micat ſtellas inter ceu Luna minores:
Nulla at barbarico non adamante nitet.
Tortilis it byſſus, tenuique plicatilis arte,
Ornat Mæandro menſam, operitque niue.
Perque niues vernat roſa plurima, mixta liguſtris,
Lauta vt Peſtano fercula vere fragrent.
Certatur pretio; cum Phaſidis alite pugnat,
Hinc Samius Pauo, hinc ales & Ionicus.
Quæque bibit gemmà, liquido & ſe proluit auro:
Nec pudor eſt multo permaduiſſe mero.
Paſcimur hìc telà, Carauagi, auidèque videndo,
Noſtris indè oculis creſcit anhela fames.

GODEFRIDVS BVLIONVS ad Chriſti Domini Sepulchrum.

Brantis opus apud eandem.

EPIGR. CXV.

POſt forti deuicta manu fera bella, laborum
Meta eſt magnanimo Numinis vrnà Duci.
Prono hìc decumbens Godefridus pectore, ſoluit
Inſperſus pulchro puluere, vota Deo.
Cernis, vt irroret lachrymis felicia ſaxa,
Imprimat & labris oſcula mille ſuis?

Hæc

Hæc Tarpeia illi moles, hic nobilis arcus,
Hic illi æterna laude triumphus erit.
Tam benè qui Domini Godefridum fingis ad vrnā,
Pictor, ab hac vrna tuque perennis eris.

HECTORIS, ET AIACIS Monomachia.

Rubens apud eandem.

EPIGR. CXVI.

ASpicis Heroum par inſuperabile, gentis
Fulmina Troiugenùm, Graiugenùmque duo;
Aiax ille ferox, hic & Mauortius Hector;
Neſcis; cui maius pectore robur erat.
Concurrunt: toruis feriunt ſe obtutibus: ipſi
Impreſſere oculi vulnera prima truces.
Tum ferrum exeritur: ſciſſis ceu nubibus atris,
Fulgurat horrendùm dextra, & vtrinque tonat.
Et punctim, cæſimque chalybs, ſitienſque cruoris,
Ardet ſanguineo fontem aperire ſinu.
Vis pugnat, pugnatque dolus: vitantur & ictus
Fulminei, præceps quos geminatque furor.
Aequo Marte calent: nō huic manus æmula lāguet;
Non animum huic acuit pugna cruenta magis.
Nox dirimit tenebroſa Duces: auidoſque duelli,
Euocat in tabula hac ad noua bella Rubens.

D. CATHARINA SENENSIS.

Guidonis Rheni apud Card. Ninum.

EPIGR. CXVII.

QVisquis Cælituum videre vultus,
Ora & nectareo lepore plena,
Exoptat; Catharina, te, tuamque

Cernat effigiem, colore pictam:
Effingendo operi manum peritam
Adiuuere Rheni lepor, venuſtas;
Pigmenta & Charites dedere cultæ,
Candor Virgineus modeſtiore
Vultu promicat: it per ora pulchro
Sanctior pietas, pudore mixta.
Pallente ambroſiâ roſâ genarum,
Dulcis ille color, ciniſque viuus
Docent, ſydeream latere flammam;
Vnde pectora langueant amoris
Caſti vulnifico peruſta ab igne.
Sertum vertice ſpineum coronat
Opus, Guido, tuum; meretur etſi
Ingens hoc opus auream coronam.

D. IOANNES BAPTISTA in Eremo.

Auguſtini Caracci apud Card. Ninum.

EPIGR. CXVIII.

IT procul, & tacitis ſyluis ſe ſe abdidit Infans,
Vt decus hoc teneri floris eremus alat.
Pelliceus Puer vt ſoluat ieiunia parcè,
Carpit lacteolâ ruſtica poma manu
Fonte bibit riguo: dulcis puro ſub Ioue ſomnus;
Puluillus lapis eſt, culcitra mollis humus.
Quis docet at Puerum campis? an quercus, & ilex,
Quæ mutæ? an linguâ triplice pictus hydrus?
Argutæ an volucres vocali gutture, laudes
Et matutinas aſtra diſerta docent?
Quiſquis es, externum in Puero ne quære magiſtrũ:
Viua Dei nam vox ipſa Magiſtra ſui eſt.
Egregià at quantùm valeas hac arte, Caracci,
Non infantili hic edocet ore Puer.

ANGE-

ANGELORVM CHORI in quinque diuiſi tabulas.

Tintoreti apud Card. Ninum.

EPIGR. CXIX.

TIntorete, tuis tam bellè hæc agmina pingis
Aligerùm tabulis, nectis & arte choros;
Vt non pictricem dextram expreſſiſse, ſed ipſos
Aligerùm quiſque hos dixerit eſſe choros.
Scilicet, is fronti lepor eſt, ea gloria vultu;
Fulgida & Empyreus ſic beat ora Deus.
Pictor, gratare: Aligeri ſua ſydera linquunt,
Et gaudent, tabulis degere poſſe tuis.

QVINQVE FLORVM VASA elegantiſſima.

Mary à Floribus apud Card. Ninum.

EPIGR. CXX.

QVinis vaſa vides tabulis diſtincta; Corinthū
Dixeris, aut veterem compoſuiſſe Samum.
Hic florum ſyluæ, formoſi & Adonidis horti,
Veris & hic omnes luxuriantur opes!
Hæc Veneris dices, vel picta cubilia Floræ,
Ni flos quiſque eſſet Flora, vel ipſa Venus.
Millenæ hic, Paphiæque roſæ, mixtæque hyacinthis
Pæoniæ, & niueis lilia mille comis.
Spiſſior hic Tulipa, hortorum formoſior Iris,
Iunctaque purpureis lutea caltha crocis.
Turba, & tot florum placet haud ignobile vulgus;
Diſparitas, ordo nullus & ipſe placet.
Nempè Chaos cernis confuſo in vere; remiſtus
Flos & decertat flore, colore color.

Quis Pictor? Marius. Qui ſcit bene pingere flores,
Quin potiùs Florum nomine Roma vocat?
Nomine ſic Florum quondam Roma ipſa vocauit,
Qui Latiam ſcripſit floridus Hiſtoriam.

MVLIER SAMARITANA cum CHRISTO Domino.

Tintoreti apud eundem Cardinalem.

EPIGR. CXXI.

CErne fatigatũ Numen, quod Sydera, & Orbis
Tergemini inflexo vertice portat onus.
Et ſedet ad puteum fons viuus; largus & offert,
Ne ſitias, viuæ vim ſalientis aquæ.
Mõſtra audire putat Mulier. Quę hęc vena perẽnis?
Quæ hæc, fluuio epoto, non reditura ſitis?
Diſputat, addubitat: tandem ſed cedit; & vndis
Naſcitur irriguis ſanctior iſta Venus.
Pagina quæ dictat ſacra, Tintorete, figuris
Tu recitas pictis; ipſaque tela refert.
Nec mirum hìc loquitur ſi fœmina garrula: mirum
Hoc eſſet, tabulis conticuiſſe tuis.

PRODIGVS FILIVS.

Baſſani apud eundem.

EPIGR. CXXII.

AVrea gens olim mutauit, glande relicta,
Rus, ſyluas, mores induit atque nouos.
Prodigus hìc contra; laribus, & Patre relictis,
Ad glandes redijt, frondiferumque nemus.
It poſt fęda ſuum veſtigia; crinibus horret:
Squalida ieiuno pallet in ore fames.
Sciſſa chlamys: vexat rigidi inclementia Cæli:
Vrit Sol flammis acrior, vrit hyems.

ſpeciem hirſutam, ſyluestria cernis & ora,
Montiuagis ſimilem dixeris eſſe feris.
Nec mirum, Baſſane, illum ſi pinxeris aptè:
Aptè brutum animal pingere nanq; tuum eſt.

D. IOANNES BAPTISTA prædicans.

Riberæ Hiſpani, vulgò lo Spagnoletto, apud eundem.

EPIGR. CXXIII.

EGreſſus ſyluis poſt longa ſilentia Diuus,
Grandi velatum prædicat ore Deum.
Commonſtratque Agnum digito, ſub vellere puro
Cui niuei mores, nullus & ore dolus.
Scilicet, hoc Agno docet is manſueſcere mundum,
Deſinat vt ſæuis moribus eſſe Leo.
Ioannem pinxiſſe putas, Ribera, ſed Agnī
Expreſſit vocem ſedulus iſte labor.
Non clamaſſe foris, non ſat clamaſſe per vrbes;
Clamat & hac tabulà, & nobile laudat opus.

PVER IESVS.

Ioſephi Arpinatis apud eundem Card. Ninum.

EPIGR. CXXIV.

NAtum Virgo ſuum niueis iam liberat vlnis;
Et ſinit Infantem paſſibus ire ſuis.
Creſcentem pulchrè roſeo velauit amictu:
Sanguineus Puero nam placet ille color.
Cernis? Virgineo quem ſuxit ab vbere rorem,
Ore gerit, mixtum ſimpliciore roſà.

Aureoli rutilant crines, & dulce flagellant,
Quas animant puras candida colla niues.
Sol tener & ſuaui accendit ſua ſydera fronte,
Sydera, quæ Cæli ſydera luce fugant.
Artis caniciem, Arpinas, Puer indicat iſte,
Et te ter magnum parua tabella docet.

PRAELIVM TEMPESTAE.

Apud Card. Ninum.

EPIGR. CXXV.

TEmpeſtas cui nomẽ erat, bella aſpera, Thracis
Et tempeſtates pingere Martis amat.
Aeratas acies, ſtrictos ſi fingeret enſes,
Armorum æquè atrox, gratus & horror erat.
Aſpicis has tabulas? rabiem ſpirare cruentam,
Et formidato Marte calere putas.
Miſcet cuncta furor, perculſas territat aures
Penè fragor; penè & tela volare vides.
Hic datur, hic petitur iugulus, premiturq; premitq;
Hinc equus, hinc & eques: flagrat vbiq; chalybs.
Expuit hic animam per vulnera mille; cadenti
Ille inſtat; lethum qui intulit, ille tulit.
Bellis hiſce tuis, Pictor, fugientibus annis
Bellum infers: ſunt hæc bella trophæa tua.

PVELLA CVM CALATHO.

Titiani apud Card. Ninum.

EPIGR. CXXVI.

SPectantes rapit hæc Puella, quamuis
Picta: & flexanimum è colore muto
Audis eloquium iconis diſertæ.
O quæ gratia promicat ſereno
Vultu! quæ roſa purpurat genarum!

Auro

Auro concolor elegans capillus ;
Bellè compoſitus, caput coronat :
Et rident oculi, micantque, clari
Ceu ſint ſydereæ faces Olympi.
Hæc miracula luſitantis artis,
Si neſcis, Titianus ille, Coo
Maior ingenioſo Apelle, pingit.
Idæ laurigeris iugis fuiſſet
Si picta effigies, decora vultu,
Cum formæ pretium decentioris
Rettulit Dea mollior Cytheræ ;
Spirantem Idalius putaſſet ille
Paſtor, & roſeo ore pulchriorem ;
Hinc & iudicium alterum tuliſſet,
Et fuluum Veneri abſtuliſſet aurum ;
At, quid hic calathus, manu venuſta ;
Quem geſtat, Titiane ? nempè plauſus
Tuos hoc calatho excipit diſertos.

SYLVARVM, CAMPORVMQVE proſpectus, vulgò, Paeſaggi.

Saluatoris Roſæ apud Card. Ninum.

EPIGR. CXXVII.

HEroum ſolitus, Diuûmque animare figuras ;
Non refugis ſyluas, ingenioſe Roſa.
Illas ſi pingis, ſunt dignæ Conſule : nempè
Pulchra facis cultâ ruſtica rura manu.
Mille oculis aperis tabulâ ſpectacula in vnâ :
Nil rude, ſit quamuis integra ſcena rudis.
Hic nemus vmbriferũ, Camporũ hic ęquora, cultis
Hic & flaua ſeges luxuriatur agris.
Cernis nata ſolo aulæa, Aſsyrioſque tapetas ;
Quales argutè Belgica pingit acus.

Quid vitreos gelidis labentes rupibus amnes?
Murmura per valles quid fugientis aquæ?
Lanigeras quid oues, quid rixanteſque iuuencos?
Quid refero damas, quid capreaſque leues?
At, non tot rerum ſpecies, facieſque locorum;
Vnum miramur, qui facit iſta, Roſam.

IIDEM SYLVARVM PROSPECTVS.

Burgundi apud eundem.

EPIGR. CXXVIII.

HIc pelagi fremitus, bella hic horrētia Martis,
Clarorum vultus exprimit ille Ducum.
Me ſyluarum vmbræ, acclini me tramite collis,
Et riguæ rupes, rura & amęna tenent.
Nunc ſpecubus lateo; abruptis nunc mōtibus erro:
Arua ſequor volucres nunc per aperta feras.
Rure moror, nec linquo vrbem; pede fixus oberro:
Quæ tranem, ipſe mihi flumina conficio.
At quamuis pauper, ſum largus: littora, terras,
Rura, lacus, modico flumina do pretio.

HERCVLES breui deſcriptus pagina.

A Bernino apud eundem.

EPIGR. CXXIX.

CVr tenui Alcidem ſignas, Bernine, papyro;
Fingere iam ſuetus marmore, & ære viros?
Herculeum robur, neruoſque, & pectora dura,
Pagina quì poterit ſuſtinuiſſe leuis?
Marmor at Alcides ſolidum indignatur, & æra
Eſt nanque ipſe ſibi marmor, & æra ſimul.
Ipſaque tela breuis, vel charta plicatilis illum
Si referat; crede, in nobile marmor abit.

DIVES

DIVES CVM LAZARO.

Baſſani apud eundem.

EPIGR. CXXX.

EN auro, Tyrioq; micans nouus Attalus oſtro;
Et quem vela tegunt candidiora niue.
Aſpicis & Siculis fumantia fercula menſis,
Fractaque Riphæo vina phalerna gelu.
Iro pauperior ſtat contra Pauper; amictu
Nec fouet attrito, nec ſua membra tegit.
Torquet dira fames: ieiuno atque illa negatur,
Quæ cadit è mensà diuite mica breuis.
Hìc propiore magis palleſcit muricee; & illi
Plus ſapit alterius menſa opulenta fame.
Hac tamen in tabulà eſt, Pictor, tolerantior alter
Ieiuno Pauper nam nihil ore petit.
Sobrius eſt alter; nanque inter fercula Diues
Abſtinet, intactas nec vorat ore dapes.

CHRISTVS DOMINVS mortuus.

Petri Teſtæ apud Card. Ninum.

EPIGR. CXXXI.

QVi cunctis afflat vitæ ſpirabilis auram,
Eſtque Parens rerum, Sol & inocciduus;
Illum hic exanimem, pallentemque ora, trucique
Confoſſum dirè morte iacere vides;
Heu, quò frontis honor? quo nobilis illa genarum
Purpura? quò vultus illæ abiere niues?
Numinis hoc etiam miſerabile pignus, & atræ
Mortis relliquias flebilis vrna teget?
At vetat hoc Pictor; nanq; hìc lacrymabile Nu-(men
Extinctum nunquam triſtior vrna teget.

SAM-

SAMSON TEMPLI COLVMNAS concutiens.

Tintoreti apud eundem.

EPIGR. CXXXII.

HIc ille Iſacidûm Alcides, cui mira capillis
Vis inerat; Pœnus cui leo luſus erat.
Mille acies nudis viſus fudiſſe lacertis:
Pro galeà, & forti caſſide robur erat.
En hìc diſtractis grandi virtute columnis,
Obruit infractum vaſta ruina caput.
Illum nempè ſuo ſepelit mors pulchra triumpho;
Nec poterat fato nobiliore mori.
Samſoni, Pictor, vel fracta columna trophæum eſt,
Ipſe ſed eſt Samſon celſa columna tibi.

CHRISTVS A IOANNE baptiſmo intingitur.

Burgundi apud Card. Ninum.

EPIGR. CXXXIII.

CEu tergi indigeat Libani nix candida, & alba
Lilia ceu fieri candidiora velint;
Ecce Palæſtini Iordanis ductile flumen
Perluit intacti candida membra Dei.
Ioannem viden attonitum, luſtralibus vndis
Cum cernit ſanctas immaduiſſe comas?
Diſce, licet pectus tibi ſit niue purius alba,
Pectus idem ſemper fonte lauare nouo.
Edocet hoc Numen; docet hoc & Pictor: eodem
Nempè is fonte ſuum tergere pergit opus.

NOE-

NOETICAE ARCAE ſubſtructio.

Odonis Taſſi apud Card. eundem.

EPIGR. CXXXIV.

ET nemora, & ſyluas, & ſecula lenta fatigat,
Artificum & vigiles ſutilis Arca manus.
Multa abies, celſæque alni, millenaque quercus
Cœditur, vt tantum pactile ſurgat opus.
Metitur vaſtam diuina decempeda molem,
Molis at exemplum porrigit ipſe Deus.
Innumeri inſudant operi: hic diſcindit, hic ęquat;
Quernas ille trabes diſſecat, ille dolat.
Feruet opus: præceps qui depluet æthere pontus
Scilicet hac puppi velificandus erit.
Vndiuagi hæc mundi cuſtos: hæc ſemina rerum,
Hæc hominum excipiet relliquiaſque ſinu,
Pictura at poſſet ſi mergi naufraga; crede,
Seruatrix Arca hæc picta tabella foret.
Hic nempè ars omnis pingendi, hic grata venuſtas,
Hic nerui, hic vis, hic gratia tota viget.

Tres ad CHRISTI Domini ſepulchrum Mariæ.

Saluatoris Roſæ apud Card. Ninum.

EPIGR. CXXXV.

VT dona præſtent Numini ſepulto,
Cultumque ſoluant vt pium merenti,
Sub luce prima conſpicis pudico
Velo decòras, ſanctiore vultu,
Ire ad ſepulchrum triplicem Mariam.

Eſt

Eſt cuique pyxis diues ; eſt Sabæum
Coſtumque, balſamumque, & pura fronde ,
Latè fragranti , lachrymata myrrha .
Vellent Eois his madere guttis
Exangue corpus Numinis cruenti .
Quin gazam odoram lachrymis remiſcent ,
Amore condiunt ; parant ſimulque
Functum linire Numen, & profundum
Lenire vulnus, quod ſinu fouetur .
Scis, quis peritam finxit hanc tabellam?
Flos ille pulcher artis , & decorum
Cui nomen indidit roſæ venuſtas .
Florebit æternum labor per æuum :
Roſa hunc figurat , floridumque reddit .

DEORVM CONVIVIVM.

Dominici Zamperij apud eumdem Card.

EPIGR. CXXXVI.

VT Cælum exhilaret conuiuia Iuppiter ornat ;
Et celebrant feſtas Numina cuncta dapes.
Rex Superùm multo radiatus ſydere , eburno
Sublimis ſolio , celſior ipſe ſedet .
Iuno, Venus, Pallas, quas olim exercuit ira ,
Fœdere nunc pulchro diſcubuere ſimul .
Mars galeam, pharetram poſuit Latonia proles ,
Vt genio dapibus liberiore vacent :
Conuenere maris Dj , conuenere , ſilentes
Quos ſyluæ , & quercus, quos fluuijque colunt.
Nec mora : quà menſas operit nix textilis , aureis
Lancibus Attalicas impoſuere dapes .
Ambroſiæ ſuccus , roſeumque it nectar in orbem ,
Hyblæuſque rigat guttura anhela calix .
Hæc fingis, Pictor : quamuis at fercula Diuûm
Sint eadem ; differt vtraque menſa tamen .

Cæli-

Cælicolùm illa famē ſedat; cupidos ſed tua noſtros
  Lautior aſpectus exſatiare nequit.

CAROLVS V. CAESAR PVER literas diſcit.

Titiani apud Card. Ninum.

EPIGR. CXXXVII.

HIc, qui flore æui flaueſcit crine, Mineruæ
  Diſcit & excultæ prima elementa Puer;
Olim par magnis Atauis, creſcentibus annis,
  Carolus auguſto nomine Cæſar erit.
Aurea virtuti accedet fortuna; ter amplis
  Et regnis addet ſplendida regna ſuis.
Bella geret felix; palmis implebit & Orbem:
  Clarabit famam Solis vtrumque iubar.
Nunc puer; & donec annis grandeſcat adultis,
  Grandior in tabulis eſt, Titiane, tuis.

RINALDVS ARMIDAM deſerit.

Io: Lanfranchi apud eundem Card.

EPIGR. CXXXVIII.

FRonte olim rigidà, ferroque armatus, & irà,
  Mille Heros acies, agmina mille fugat.
Proiecit nunc tela manu, galeàque relictà,
  Flore cubat, ſpirat luteolaſque roſas.
Nempè catenatum, criſpanti & crine reuinctum
  Detinet ambroſio fęmina dira ſinu.
Aſpicis? in clypeo pudibunda hæc vincula cernit:
  Nec mora; ad ingenium mens generoſa redit.

Exuit

Exuit & nexus, & fulminis ocyor alis,
Se voluit pulchrà proripuiſſe fugà.
Hæc olim ſcitè retulit facunda Poeſis,
Nunc iterum ſcitè muta Poeſis habet.
At, ſi de palma certent; hic muta triumphat:
Et dans victa manus, Muſa diſerta ſilet.

MVLVS CVM MVLIONE.

Corregij apud eundem Card.

EPIGR. CXXXIX.

SIſte: quid lepidum, iocante telà,
Offert Corregij manus videndum.
Eſt hæc ſcena rudis; tamen politus
Auctor reddidit elegantiorem.
Aſello genitus, colore fuſcus,
Mole grandior, auribus parenti
Non ſat abſimilis, toroſus, acer,
Neruis, robore fortior, valenſque,
Telà hac cernitur ambulare Mulus:
Iret & volucri gradu tolutim:
Clitellæ at prohibent: onuſtus inde,
Paſſu cogitur ambulare lento.
Ponè Muljo, Sirio peruſtus,
Cano & puluere ſordidus, comamque
Incultus fluidam, rudique barba,
Mulum paſſibus æquat, inſtruitque,
Illum & vocibus excitat morantem.
Luſit Corregius manu ſagaci:
Nec luſiſſe piget. Dediſſe mulum,
Vulgare eſt opus hoc, nec inuidendum:
Mulum ſed bene factitaſſe, pulchrum eſt:
Hoc eſt artis opus ſat inuidendum.

SOL

SOL ORIENS.

Iulij Romani apud eundem Card.

EPIGR. CXL.

HVnc tenerũ, auroræ & niueo ceu lacte madẽ-
Romani pinxit Solẽ operoſa manus. (tem,
greſſum ſiquidem cunis, viridique iuuenta
Flammiferum, quiſnam pinxerit arte Iubar?
Non dum cæſaries radiorum it vertice; ceruix
Non dum Lemniacis terret adulta iubis.
Non dum falcato iaculatur fulmina curru;
Nec dum cornipedes fræna coruſca vorant.
Maſcula non rutilem virtus ore excutit ignem;
Non ea Centimano vis generoſa calet.
Iulj at clarat opus teneri hæc infantia Solis,
Pluſquam ſi medio ſtaret in axe Iubar.

AVRORA.

Guidonis Rheni ad Quirinales ædes Mazarinas.

EPIGR. CLXI.

QVadriiugo viden, vt prodit Titonia curru
Aurea, naſcentem pingit & ore diem.
Lucem efflat ſonipes, phaleratus luce, coruſca
Et matutinà ſydera luce fugat.
Ipſa at culta comas auro, niueiſque liguſtris
Picta genas, Tyrio ſanguine ſuaue rubet.
Nudum operitque, aperitq; ſinum lux textilis, itque
Sparſa niue ad roſeos carbaſus alba pedes.
Læta roſas riſu fundit, (violamque recentem),
Luteolam & caltham prodiga dextra pluit.

Horæ

Horæ agiles circùm plaudunt, ducuntque choreas:
Hæc præit, inſequitur Solis & illa iubar.
Quàm tua docta manus, Guido! tua pulchrior iſta
Aurora eſt, quàm quæ, Sole oriente, micat.
Non opus eſt noſtra, vt clareſcas laude; peritâ
Nempè facis dextrà tu tibi, Rhene, diem.

N O X.

Iulij Romani apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CXLII.

SInt quamuis nigrà vultus ferrugine picti;
Nec Paphiæ vernent noſtra per ora roſæ;
Attamen hinc fixo, hinc refugo mihi lumine pulchrè
Mille ornant cultas ſydera pura comas.
Suntque faces oculis rutilæ: me cærula, claris
Intertexta aſtris, vela ſuperba tegunt,
Stant circum faciles ſomni; mundoque ſilente,
Cernis? mortales irrigat alma quies.
Sydeream ſiquidem præcingunt fulgida frontem
Serta, ſoporiferis texta papaueribus.
Lunaque ad excubias vigilat, procul eſſe laborem,
Triſtificas curas & procul eſſe iubet.
Qui me ſic pinxit, non cęca in nocte iacebit:
Aeternumque dabit fama diſerta diem.

DIDO, AENEA ABEVNTE.

In aulęis Sermonetæ Ducis à Raphaele diſcriptis.

EPIGR. CXLIII.

TRos abit, exaugent ventos ſuſpiria Eliſæ;
Vrget & hæc, vellet quas retinere, rates.
Haud

Haud voces miſerę, lachrymæ haud iuuere tepētes;
Ille abit, & pelago ſurdior, & ſcopulis.
Quiſquis es, hìc mutis audis lamenta tapetis,
Et raptate rates vela ſecunda vides.
Dic age, quis ſenſus animat plorantis Eliſæ?
Hìc quis muta loqui fuſiùs ora docet?
Quis regit & claſſem? Aeolijs quis legifer euris
Iura dat, immotas quis iubet ire trabes?
Scilicet, hæc Raphael deſcripſit: credite: motum
Ille dat immotis: muta diſerta facit.

AENEAS ab incendio dilabitur, Anchiſem portans.

Ibidem apud eundem.

EPIGR. CXLIV.

BVſta mihi Patriæ, mihi mille ſequentia tela
Eripere egregium non potuere Patrem.
Flamma atrox, Graiùm rabies & feruida Troiæ
Laomedontęæ tecta ſuperba vorent:
Quòd Patrē eripui his humeris;mea iā bona cuncta
Ipſe fero mecum; nec mihi Troia perit.
Tros Anchiſiade, quis te fugiſſe Pelaſgas
Dixerit, hæc quando pulchra trophæa refers?
En qui te ſpolijs tam lautis pinxit onuſtum,
Victorem, inuito Marte, fuiſſe docet.

AENEAE deſcenſus ad Inferos.

Iulij Romani apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CXLV.

CAecum carpit iter, Stygias & pergit ad vmbras
Tros Anchiſiades, eſtque Sibylla comes.

Aſpicis? it per monſtra Heros: fera ſibilat hydra;
Arpyæque fremunt, ſæuaque Scylla latrat.
Arma metus ſuadet: rutilum manus arripit enſem
Impigra, iamque vmbras impetit ille leues.
Sunt hæc cuncta ſuis expreſſa coloribus: etſi
Nocte Acherontæa cuncta latere vides.
Sciret vt Aeneas Herebi loca nigra, Sibylla
Edocet: hac ſed nunc non eget ille duce.
Iulius expreſſit mirè, ducitque, docetque:
Aenea, is melior nempè Sibylla tibi eſt.

TROIAE INCENDIVM.

Eiuſdem Iulij Romani apud eundem.

EPIGR. CXLVI.

LAomedonteæ flagrant hìc mœnia Troiæ:
Vindex poſt ferrum flamma Pelaſga vorat.
Collucent ignis feralè volumina; fumo
Lambit & æthereas mixta fauilla plagas.
Iam cinis eſt, vbi Troia fuit: iam Troica tecta
Nominis Iliaci buſta inhonora vides.
Per flammas, mediaſque acies dilabitur audax
Aeneas tacitè, fert humeriſque Patrem.
Itque gradu volucri: pietas fortè addidit alas:
Aut pondus facili dat volitare pede.
Felix arte tua, Iuli: feliciter ardet
Dardana Apellæà Troia peruſta manu:
Si pingis, ſua buſta iuuant feralia Troiam:
Inclyta quæque vrit Pergama, flamma placet.

ECCE HOMO.

Titiani apud eundem Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CXLVII.

ORe cruentatum fœdè, impexiſque capillis,
Mulctatū & multo hìc verbere Numē habes.

Diri

Diri ſtant capiti vepres, eſtque inſuper oſtrum
Vile humeris, tenet & ludicra ſceptra manu.
Ecce homo, quē rabies quondam truculenta cecidit,
Expreſſitque tuus nunc, Titiane, color.
At ſpecies miſeranda Dei, vultuſque cruentus
Flectere dura hominum pectora non potuit.
Flexiſſet, Titiane, olim tua triſtis imago,
Inſpectuſque ſemel flebilis iſte labor.
Quoſq; ipſum nequijt lachrymabile frāgere Numē,
Fregiſſet picti Numinis vmbra breuis.

D. MAGDALENA.

Eiuſdem Titiani apud eundem.

EPIGR. CXLVIII.

NVda ſinum, fuſiſque comis, demiſſaque vultus,
Lachryma quos largo fuſilis imbre rigat:
Magdalis exactæ hic luget diſpendia vitæ,
Pertæſa, heu, nimiùm] ſe placuiſſe ſibi.
Ore vides, quis corda dolor diuerberet: intus
Viſcera quod ferrum lancinet, ore vides.
Arcanum vt clarè pectus transluceat extrà,
Secretuſque dolor, tu, Titiane, facis.
Externum facile eſt mœrorem fingere vultus;
Intima qui pingat vulnera, rarus erit.

VENVS.

Titiani apud eundem Ducem.

EPIGR: CXLIX.

FAbula cum Venerem finxit, pigmenta fuere
Lilia cum violis, mixta liguſtra roſis.

Aurum iunge comis, oculiſque micantibus aſtra ;
Non potuit Cypris pulchrior eſſe Venus.
Formoſę tu formam addis, Titiane, nouumque
Aurum auro ; vernant floribus ora nouis :
Parce : decus Veneri, formamque coloribus auges ;
Detrahis at laudem moribus ipſe tuis.
Egregiè ſit picta Venus; nil turpius illà eſt ;
Formoſo Artificem fędat & ore ſuum.

DEIPARA ABLVIT INFANTEM DEVM.

Caraccij apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CL.

CAndida lacteolos Genitrix Nati abluit artus,
Interea ſed aquas expiat ipſe Puer.
Per viuas, teneraſque roſas, per lilia pulchrè
Fuſilis it, tanto & gaudet honore latex.
Balnea, tu, Iuli, hęc renouas : hinc tincta colore,
Ingenioque tuo, purior vnda fluit.

IOANNES CHRISTVM DOMINVM baptizat.

Caraccij apud eundem.

EPIGR. CLXI.

STat prona ceruice Deus, ſtat ſupplice vultu,
Dum ſacra Iordanis perluit vnda caput.
Ipſe amnis fundi gaudet : iuuat ire per ora,
Atque per ambroſias, imbre cadente comas :
Ioãnes Dominum mergit, flumenque miniſtrat ;
Penè horret, tremit & relligione manus.

Sciſ-

Sciſſile ad hęc olim patuit ſpectacula Cælum,
  Nimirùm Superùm plaudere quiſque cupit.
Caracci, hæc eadem pingis; nec gloria diſpar:
  Tanto nempè operi plaudere quemque vides.

D. FRANCISCI ASSISINATIS effigies.

Carauagij apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CLII.

Est pallente cinis vultu, tunicamque per omnẽ
  Aſpicitur laceram textilis ire cinis.
Pallor vbique: rubet ſed pectus ſciſſile; nudi,
  Traiectique pedes, dextraque fixa rubet.
Franciſcum nempè à cinere, atque à vulnere multo
  Noſcimus: haud tanti fallit imago Viri,
Exprimis hanc ſpeciem, Carauagi, nec tua ſiſtit
  Impigra in effigie hac exteriore manus.
Sic pingis, vultu vt pateant pia vulnera cordis;
  Intimus & pateat pectoris ille cinis.

DOMINICA COENA.

Bonarotæ apud eundem.

EPIGR. CLIII.

Sydereum hic Numen Cerealia dona miniſtrat;
  Miſcet & æthereus fuſile nectar Amor.
Arte repræſentat mirà noua fercula Pictor,
  Conuiuaſque, pio qui maduere mero.
Æmulus hinc certat magno cum Numine: lautè
  Hoc mentes, lautè paſcit at ille oculos.

COSMI MAGNI MEDICEI effigies.

Titiani apud eundem.

EPIGR. CLIV.

PEnè iubet vultu, populos & frænat Hetruſcos
Sceptro; ſic ſpirat Coſmus in hac tabulà.
Pingendo eripuit tumulo Titianus, & ipſa
Cernitur eximij Principis vmbra loqui.
Nec vis magnæ animæ deeſt fronti; totaque in ore
Eſt Coſmi virtus, pectoris atque vigor.
Hic meruit Magni nomen: ſic nempè vocandus
Ille fuit, grandi qui indole Magnus erat.
Si pingis, Titiane, tuá grandeſcit ab arte
Coſmus, & eſt magno nomine maior adhuc.

GALATHEA.

Raphaelis Vrbinatis apud Farneſios.

EPIGR. CLV.

FOrmoſam finxit Galatheam Muſa, fuitque
Inter Nereidas gloria prima Deas.
Hanc etiam Vrbinas pinxit: nix palpitat ore:
Aurea rorantes cingit & alga comas.
Aſpicis? it pelagus patrium Oceanitide conchâ,
Delphines circum nant, ſaliuntque choris.
Penè audis pelagi arridentis murmura; eunti
Ceu lepidè plaudat mobilis vnda Deæ.
Luſit Muſa olim: Galatheam hanc aſpice: dices,
Quæ pridem mendax fabula, vera modò eſt.

CHRI-

CHRISTVS APOSTOLOS in horto increpat.

Carauagij apud Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CLVI.

NVmen ad irrigui gelidam prece ferbuit vmbrã
  Gethſemani, trepido prenſat & ore Patrem.
Inde ſuos repetit, ſomnus quos merſerat, ingens,
  Atque ſupercilio mulctat, & ore monet.
Excubat impietas: vos molli ſomnus in herbà
  Detinet, & tanto in turbine amica quies?
Non propior turbæ venientis percutit aures
  Clamor, & armorum concitus ille fragor?
Hæc Dominus: tabulà certè Carauagius iſtà
  Non dormitauit, tam benè pinxit opus.

D. MATTHAEVS CVM ANGELO.

Eiuſdem Carauagij apud eundem Principem.

EPIGR. CLVII.

MEnte agitat grãdi Diuus monumenta ſacrorũ,
  Quæ longè ad mundi ſpargat vtrumq; latus.
Sint cõmenta procul, procul hinc & Græcia mẽdax;
  Eſt candor verbis, eſt calamoque fides.
Aſpicis Aligerum? hinc illi facundia; menti
  Hinc pondus: vigilem dirigit ille manum.
Tu fingis pulchrè, Carauagi, animaſque figuras:
  Fictus at hiſtoriam haud inficit ille color.

CHRISTVS DOMINVS ſpinis coronatur.

Eiuſdem apud eundem Iuſtinianum.

EPIGR. CLVIII.

ASpicis hic Dominũ redimitũ tempora dumis;
Itque per irriguas ſanguinis vnda genas.
Cur ſinit auguſtum, radiari ſydere dignum,
Transfixum diris vepribus eſſe caput?
Quid Nazareno cum ſpinis? flore recenti,
Et vernis cingi debuit ille roſis.
Delicias nempe is ceſſit mortalibus; atqui
Ipſe ſuis voluit ſpicula acerba comis.
Illa ſed ingenij, Carauagi, induſtria, & artis
Egregiæ ille lepor, gratia & illa tibi eſt,
Vt quamuis Dominũ redimant ſerta aſpera; molles
Dicere tu poſſis, impoſuiſſe roſas.

D. AVGVSTINVS.

Carauagij apud Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CLIX.

HIc olim cœno merſus, caput extulit: aſtris
Se dicat: eſtque idem nomine, more alius;
Nilque luti retinet primæui Aurelius, auro
Purior: eſt verbis, pectore, mente nitor.
Vittatus dein Alcides mille horrida monſtra
Scribendo facili vulnere fundit humi.
Pergit & anguipedum capita infeſtare ſuperba;
Terret adhuc doctis claua voluminibus.
Vim geminas Diuo, Carauagi: bella minatur
Scriptis, bella etiam ſpirat in effigie.

D. HIE-

D. HIERONYMVS.

Eiuſdem Carauagij apud eundem Principem.

EPIGR. CLX.

ET ſyluis degit, degitque Hieronymus Aulâ;
Culta nec eſt ſyluâ dulcior Aula Seni.
Cura prior, riguis extinguere Numinis iram
Fletibus, & ſaxo tundere corda graui.
Tum ſtudijs vacat ille ſuis; & mente profundâ
Multa legit, ſcribit plurima, magna docet.
Mutat nempè vices, miſcetque; & pectora ſacra
Excolit hinc Pallas, vexat & indè ſilex.
Tu Veneres addis, Carauagi, animamque tabellæ;
At pretium, & pondus ruſticus ille lapis.

GISMVNDI GERMANI Pictoris eximij effigies.

Eiuſdem apud eundem.

EPIGR. CLXI.

GIſmundum pingis pictorem pictor, & acri
Viuus ab ingenio palpitat ille tuo.
Se geminum cernit; pictaque in imagine dextram
Miratur vultus congeminaſſe ſuos.
Da tabulam pictæ tabulæ: mirabile dictu;
Pingeret aſſuetâ picta tabella manu.
Hæc tua ſunt, Carauagi, mira: inſignis ab arte
Pictorem pictum pingere nempè facis.

D. MA-

D. MARIA MAGDALENA.

Eiuſdem apud eundem Iuſtinianum.

EPIGR. CLXII.

MAgdala delicias inter quos perdidit annos,
Sueta cupidineis dulcè cubare roſis;
Irriguas inter lachrymas, per & aſpera vitæ
Ecce redorditur, ſanctiùs itque dies.
Cernimus & tacitos ſecreto in pectore morſus,
Arcanàque intus corda peruſta face.
Scilicet, is color eſt Carauagj viuus, vt ipſis
Vultibus externis intima corda notet.
Rara auis eſt Pictor, qui ficta in imagine clarè
Prodat, quæ cæco delituere ſinu.

EXCELLENTIS CITHARISTAE effigies.

Eiuſdem Carauagij apud eundem.

EPIGR. CLXIII.

QVis hic eſt Fidicen, manu canorum
Ebur qui facili tenet, mouetque?
An hic Biſtonius lyram laceſſit
Orpheus dulciloquam? alter an profundo
Arion pelago redit lyriſta?
Sit quamuis tacito colore pictus,
In mutà reſonat tamen tabella:
Et ceu ſollicitet fides ſonoras,
Aures pollice detinet bibaces.
Vides articulos per ima, perque
Summa currere barbiti volantes,
Neſcit ſtare loco manus volucris:
Velox itque, reditque, & huc, & illuc

Errat,

Errat, armonico & vagatur ęſtu.
Quis credat, digitos loqui diſertos,
Immotamque manum mouere plectrum?
Is credet, Carauagium Lyriſtam
Qui nouit tabulà notaſſe pictá.
Hoc qui nouerit, haud neget figuram.
Poſſe tangere barbiton Lyriſtæ.

CVPIDO CELEBRATISSIMVS ridet, & coronas calcat, & arma.

Eiuſdem Carauagij apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CXLIV.

VT Puerũ Veneris Carauagius exprimat, omnes
  Ingenij vires tentat, & artis opes.
Hinc iterum Paphius ſic naſcitur ille Cupido;
  Ceu Venus è niueo fuderit ipſa ſinu.
Pennatus volitat, pharetratus ſpicula torquet;
  Aureolus crine eſt, ſcitulus ore Puer.
Cernis? ſceptrigeris dominari Regibus Infans
  Iactat, magnanimos & ſuperaſſe Duces.
Gemmata hinc tenero calcat pede ſceptra, ſagumq;
  Martis, & exuuias, armaque fracta Ducum.
Ridet, non ære igniuomo viciſſe, ſed vdis
  Lachrymulis, riſu, & Matre docente, iocis.
Dum volucrem egregiè, Carauagi, pingis Amorē,
  Quàm meritò noſtri diceris Orbis amor?

D. THO-

D. THOMAS APOSTOLVS ad Chriſti latus.

Eiuſdem apud eundem Principem.

EPIGR. CLXV.

O Fortunatum, ſciſſum cui vulnere dulci
Conceſſum Domini tangere poſſe latus.
At cupit, & trepidat Thomas; ſimul ardet, & alget:
Ore verecundo vota, metumque vides.
Inuolat at tandem diuinum in pectus, & illo
Vulnere nectareo roſcida mella bibit.
Tangere nunc iterũ, Carauagi, hæc pectora Tho-
Promeruit; nempè hac pictus in effigie. (mas
Dulciùs hìc tangit: nam auelli à pectore neſcit:
Atque hoc dulce latus deſeruiſſe nequit.

THAIS.

Eiuſdem apud eundem.

EPIGR. CLXVI.

HAec olim formoſa lues graſſatur Athenis:
Quot roſeis ſtrages edidit illa genis!
Qui capiunt oculi, feriunt: qui crinis oberrat
Colloque, & vultu tortilis, ille ligat. (ſcunt:
Semper & ora vorant; hinc ſanguine labra rube-
Nempè ſuas lambit ſæua leæna neces.
Nec multa: hæc hominum tot nobilis illa ruinis,
Culta Menandræo carmine Thais erat.
Arte tua creſcat, Carauagi, gratia; ſemper
Probris illa ſuis inclyta Thais erit.

SAL-

SALVATORIS VVLTVS:

Raphaelis apud eundem Princ. Iuſtin.

EPIGR. CLXVII.

Hìc caput auguſtū, rorantem & ſanguine frō- (tem,
Aeterniq; Dei hìc ora cruenta vides.
Ipſe ſui pictor, minio hæc velamina finxit
Ipſe ſuo; externæ nil valuere manus.
Pellæus ſe dat Iuuenis pingendus Apelli:
Illum qui poſſet pingere, nullus erat.
Nullus erat, Raphael, qui Numinis ora verendi
Exprimeret; tuus eſt nobilis iſte labor.

DEIPARA, CHRISTVS, & Ioannes Baptiſta.

Titiani apud eundem.

EPIGR. CLXVIII.

Campana ardentes iactat dum Fęmina gēmas,
Queis ornat niueos ambitioſa ſinus;
Florentem Sobolem Romana amplectitur: Et ſunt
Ornamenta, inquit, pectoris iſta mei.
Virginis en diues gemmà è Garamantide cultus;
Nempè ſinu ludens Diuus vterque Puer,
Diuidit amplexus, en huic arridet, & illi:
Oſcula partitur; pectore vtrumque fouet.
Delicias tabulà hac magnæ, Titiane, Parentis
Exprimis; at tabulam hanc cernere, delicium eſt.

DEI-

CHRISTI DOMINI NATALES.

Eiuſdem Titiani apud eundem.

EPIGR. CLXIX.

Virgineo Puerũ è gremio hanc in luminis aurã
  Emiſſum, cunis cernere dulce fuit.
At ſimul in ſtipulis, gelido & ſub ſydere nudum
  Inter lachrymulas cernere, triſte fuit.
Diuidit hinc pectus Genitrix: per gaudia męret:
  Mœroremque fugat bellulus iſte Puer.
Tu tamen, haud miſces, Titiane, hæc arte magiſtra:
  Bethlemia haud terrent antra, nec horret hyems,
Ingenio ſiquidem ſic dura abſtergis! vt ipſa
  Rideat aſperitas, nix, rigidumque gelu.

SEBASTIANI SERLII celebris Architecti effigies.

Titiani apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CLXX.

Agnoſcis vultus? Titiani viuere magni!
  Debuit eximiâ Serlius ille manu.
Hic moles operum egregias, hìc ardua tecta,
  Deſcripſitque arces, templa, theatra, fora.
Edidit atque artis monumenta operoſa; docere
  Vt poſt fata etiam pergeret ingenium.
Si, ſtudijs vigilata ſuis euulgat, & Orbis
  Dat luci, haud totus Serlius hic moritur.
Illius at vultus ſi tu, Titiane, figuras;
[illegible] totus viuit in effigie.
  Probris illa [illegible]

VENVS

VENVS CELEBERRIMA cum Cupidine.

Titiani apud eundem Principem.

EPIGR. CLXXI.

QVid tibi cum Venere eſt, Titiane, atque Alite Nato?
Cur fædat tabulas illa, vel ille tuas?
Cum Veneris veneres pingis, frontiſq; liguſtra,
Vultu & nectareo quæ rubuere roſæ;
Atque pharetrati mellita Cupidinis ora;
Luteolaſque comas, lacteolaſque genas;
Ne, Titiane, putes tunc ardua ad aſtra tuliſſe;
Ingenio & telas noblitaſſe tuas.
Pictor eris fortaſſe bonus, ſi talia pergis
Pingere; crede, malus ſed Titianus eris.

CHRISTVS INFANS, MARIA, IOSEPH, & adorans Angelus.

Eiuſdem Titiani apud eundem.

EPIGR. CLXXII.

SYdereus Puer, at rutilis formoſior aſtris,
Virgineo viden vt rideat in gremio?
Deliciæ hæ Matris, Ieſſidæ hæc gaudia Patris:
Mellifluo Puer hic vultu & vtrumque beat.
At cur Cælicolam, Cæloque, aſtriſque relictis,
Aligerum hic vultu ſupplice ſtare iuuat?
An ſpectare cupit velati Numinis ora,
Qui nuda hęc Cælo Numinis ora videt?
At, Titiane, adijt ſcis cur huc penna alite? fortè,
Egregiam vt tabulam cerneret ille tuam.

DEI-

DEIPARA, CVM PVERO IESV, & Ioanne Baptiſta in ſyluis.

Andreæ Sarti apud eundem Principem.

EPIGR. CLXXIII.

Hìc vbi prata virent, vndiſq; admurmurat vnda,
  Syluarumque ſilens horror, & vmbra placet;
Mellitos bellè Pueros, duo lilia nempè,
  Stare vides: vernat, ludit vterque ſimul. (quit:
Stat propè magna Parens: non ſyluas quærimus, in-
  Sunt luſus, noſtra & gaudia vterque Puer.
Sic das, Sarte, loqui Matri: loquerentur & Ipſi
  Infantes; ætas non ſinit ipſa loqui.

LVCRETIA ROMANA cultro ſe confodiens.

Giorgioni à Caſtrofranco apud eundem Principem.

EPIGR. CLXXIV.

FOedati poſt damna thori, clademque pudoris,
  Quid reliquum? intrepidè commoriamur, ait.
Nec mora: per niueum pectus penetrabile ferrum
  Impauida immani vulnere corda ferit.
Indole fœminea mollem quis dixerit illam,
  Cui virtus inerat tanta, animique mares.
Debuit illa mori; velletque hoc vulnere vitam
  Ponere; tu, Pictor, fata cupita negas.
Sic equidem pingis, cogas vt viuere; vitam
  Ceu renouent gelido vulnera facta ſinu.

ADVL-

ADVLTERA EVANGELII.

Eiuſdem apud eundem.

EPIGR. CLXXV.

TE Nemeſis damnat, Mulier: te iura, tuumq;
Crimen, teque hominum triſte ſupercilium.
Conſcia tu culpæ palles: tu muta fateris,
Et rigidâ expectas ſaxa rotata manu.
Anxia quid trepidas? Numen non marmore lęsũ;
Puluere at exiguo crimina noſtra notat.
Aſpicis? it dirus cenſor: tuque i pede fauſto:
Abſoluit, Cælo iudice, mite forum.
Promeruit lapides venalis adultera: magno
Venalis pretio eſt illius effigies.

SIBYLLA.

Eiuſdem Georgioni apud eundem.

EPIGR. CLXXVI.

LOngæua Virgo proſtat hac tabellâ,
Matura vultu, fronte cui renidet
Seuera virtus, conſcia & futuri
Mens æui, & hoſpes Numinis ter ampli.
Non crinis aurum curat: it capillus
Indiligenter cultus; & genarum
Non ardet oſtrum, Punicuſque fucus.
Nec picta vela, Perſicuſque luxus
Conueſtit artus; at decens amictus,
Frugalis & ſtola, & chlamys pudica.
Hæc vna Vatum nempè, quas Sibyllas

Ætas vocauit priſca, pulchriore
Integritatis flore candidatas.
Afflabat olim Numen, intimumque
Implebat aura pectus: hinc profundo
Vulgare magna ab ore: temporumque
Momenta profari, & vices futuras.
E tot Sibillis vna nunc Sibylla
Hæc viuit, & telà viget ſuperſtes.
Sic Pictor illam ſcilicet figurat,
Vt ſpiret, viua palpitentque membra.
Ora & loquendo ſolueret; nec audet.
Quæ nanque condit pectoris receſſus
Arcana rerum magna, ſi loquatur,
Veretur, aures ne audiant profanæ.

PVER IESVS, DEIPARA, & D. Ioſeph.

Antonij Corregij apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CLXXVII.

LActentem hæc aluit niuei me pectoris vnda:
Nunc me cura Patris, frontis & imber alit.
Hinc Pater, hinc Genitrix ſimili ceu cōpede vinctū,
Obſtrictum donis me voluere ſuis.
Debita qui ſoluam? an fugiam? at peruigil vnà
Excubat hinc Genitrix, excubat indè Pater.
Debita tu, Pictor, potes hæc diſſoluere: telam
Diſtrahe: nam grandi hæc ære tabella valet.

CHRI-

CHRISTVS CRVCEM FERENS ad Caluarium.

Parmenſis apud eundem.

EPIGR. CLXXVIII.

HEu, quàm dira oculis offert ſpectacula mundi
Arbiter, & nutu qui regit aſtra ſuo.
Damnatus letho, ipſe ſibi illętabile lignum
Fert humeris; Crucis eſt baiulus ipſe ſuæ.
Nec par eſt oneri: Crux fert tot crimina mundi;
Ferre ſed immitem non valet ille Crucem.
Iam labat, & tanto cadit, heu, ſub pondere; magnus
Ille ruit magni portitor Orbis Atlas.
Hæc benè dum pingis, creſcit tua gloria, Pictor:
Accipit hinc pondus grande tabella leuis.

CHRISTVS MORTVVS, quem duo ſuſtinent Angeli.

Pauli Veronenſis apud eundem.

EPIGR. CLXXIX.

ABrupere Dei tandem fila aurea vitæ
Ira ferox, rabies trux, rigiduſque chalybs:
Exanime en corpus; transfoſſum en nobile pectus:
En & vbique ater liuor, vbique cruor.
Par hinc, atque hinc Aligerùm liuentia membra
Suſtinet, attonito vultu & vterque ſilet.
Abluerent ſaltem largo pia funera fletu:
At vehemens lachrymas non ſinit ire dolor.
Triſte miniſterium, Pictor, leuat Ales vterque
Arte tua, & pondus ſuſtinuiſſe iuuat,

Dum ſiquidẽ hìc hęrent, gaudent, quòd tẽpore lõg
Præclarum hoc ipſis cernere detur opus.

ADAM, ET EVA IN PARADISO poſt caſum.

Eiuſdem Veronenſis apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CLXXX.

FElices animæ, ſua ſi dona inclyta norint,
Et bona, quæ largo depluit imbre Deus.
Frons celſa, ingenui vultus, & crine ſub aureo
Aurea mens inerat, recta, bonique tenax.
Vernabat tellus, ſine vomere fertilis; arbor
Quæque dabat ramis pendula poma ſuis:
Stat prona ceruice leo; ſtat Parthica ſupplex
Tigris; fulmineæ ſceptra aquilæque timent.
Mutauit ſed noxa vices: dum dira cupido
Nititur in vetitum, ſors ruit illa breuis.
Culmine de tanto deiectos cerne Parentes
Mundi, abrepta ſibi ſceptra ter ampla dolent:
Nil caſu hoc grauius: doctâ at tu, Pictor ab arte
Delicias noſtras publica damna facis.

S. IVSTINA MARTYR gutture transfixa.

Pauli eiuſdem apud eundem.

EPIGR. CLXXXI.

PVblicat hæc Chriſtum diſcerpta leonibus; illã
Effera pro Domino Pardalis ore vorat.

Hæc

Hæc ignem, illa rotas temnit: Iuſtina ſubire
Mortem transfixo gutture, dulce putat.
Iam pretioſa foret rigidus ceu ferculà culter,
Ieiunam cultrum vult petijſſe gulam.
Cumque ferox vitam putat extinxiſſe Tyrannus
Viſus ab ingeſtà vitam aluiſſe dape.
Hinc hilarem Pictor, vegetamque hìc exprimit illã:
Nempè inter lautas indicat eſſe dapes.

DEVS INFANS in Virginis gremio cum Orbis globulo.

Innocentij ab Imola apud eundem.

EPIGR. CLXXXII.

Virginis in gremio Puer eſt, tereti que coactũ
Mole Orbem, cernis? lactea dextra tenet.
Hi faciles illi luſus, librare ter amplum
Mundum: nam ſemper luſit in Orbe Deus.
Infantem cernis, ſed grandi eſt grandior Orbe:
Cui ſuſtentando ſufficit vna manus.
Sit Deus at tabulà hac paruus, ſit paruulus Orbis:
Pictor at hic ſemper, credite, magnus erit.

IO: BAPTISTA INFANTVLVS Crucem arundineam manu tenet.

Schidonis à Parma apud eundem.

EPIGR. CLXXXIII.

Infans Præco Dei, venientis ab æthere ſummo,
En ſibi arundineam dedolat ipſe crucem.

Euulgare illam Cæli vox publica vellet;
Aſt Infantis adhuc lingula muta ſilet.
Ferre tamen geſtit, citiuſque oſtendere mundo:
Et loquitur geſtu, qui nequit ore, Puer.
Scis verò è tenui cur formet arundine? nempè
Edocet hinc, ipſi quod foret illa leuis.
Egregie at Pictor, dicendi infantia cauſa eſt,
Cur non laudet opus Pupulus iſte tuum.

CHRISTVS DOMINVS SPINIS coronatus cum ſceptro arundineo.

Annibalis Caraccij apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CLXXXIV.

QVam benè cęſariē redimunt noua ſerta cruentā,
Itq; per auguſtum dira corona caput.
Quam benè ſanguineo aptātur noua ſceptra Tonāti,
Et ſtat regali ludicra canna manu.
Qui ſiquidem terris regnat, Cæloque, dolorum
Flebile nunc Regnum ſuſtinet ille ſuum.
Quiſquis es, hoc ſceptrum quæras, hæc ſpinea ſerta,
Te verè Regem ſcilicet hæc facient.
Quæ pulchrè hæc pingis, Caracci, inſignia Regum,
Hanc tabulam dignam Regibus eſſe docent.

Ad Iordanis ripam baptizatur CHRISTVS.

Eiuſdem Caraccij apud eundem Principem.

EPIGR. CLXXXV.

IOrdanis refluit quà ductilis vnda, verendum
Ioannes ſacro perluit amne caput.
Excipit en Dominus pronis ceruicibus imbrem:
Scilicet, his mundi crimina mergit aquis.
Cælum operi plaudit tonitru, ſyluæque ſuſurro;
Iordaniſque ſuo murmure plaudit, io.
Annibal, hos plauſus tua dum tela exprimit; ipſa
Promeruit plauſus picta tabella ſuos.

CHRISTO IN HORTO ORANTI apparet Angelus.

Eiuſdem apud eundem Iuſtinianum.

EPIGR: CLXXXVI.

DVm Dominus tacitæ inter muta ſilentia ſyluæ
Patrem orat, calidà pulſat & aſtra prece;
Inſtrumenta necis diræ, Iliademque malorum
Aliger, & rigidum Golgotha totum aperit.
Serta hæc ſunt capitis feralia: lancea pectus
Hæc ſcindet: ſpecies hæc, ait, illa Crucis.
Horruit hæc cernens, expalluit, hæret, anhelat;
Sciſſos perque artus, cernitur ire cruor.
Triſte rudimentum Crucis hæc: per vulnera mille
Horrificam quid erit ſuſtinuiſſe crucem?
Interea facit hoc pictę præſtantia telæ,
Languentem vt valeat quiſque videre Deum.

Nanque niſi attonitos raperet pictura; cruentum
Vidiſſe hic Numen, diriguiſſe foret.

DEIPARA AD CRVCEM exanimis.

Eiuſdem Caraccij apud eundem Principem.

EPIGR. CLXXXVII.

DEliquiū hic geminū cernis, lachrymabile nēpè
Deliquium Matris, deliquium Sobolis.
Languet vtrumque iubar: Crux eſt cōmunis vtriq;
Pœna eadem: ille Crucem ſuſtinet, illa Crucē.
Lictor amor, lictorque dolor ſic torquet vtrumque,
Diuidat vt pœnæ pondera lance pari.
Et quamquam Matri Crux deeſt, ſic exprimit Illam
Pictor, vt in Cruce ſtet penſilis abſque Cruce.

PETRVS CVM ANCILLA Oſtiaria.

Ludouici Caraccij apud eundem.

EPIGR. CLXXXVIII.

TE mundi columen, Cæli te, Petre, columnā
Tam facilis potuit ſternere caſus humi?
Non labor Herculeus, non belli machina, vocis
Vis ſed fœmineæ fregit, & aura leuis.
Sic Petrus armatos cędit, ſed cedit inermi:
Tantum pertenui fœmina voce poteſt.
Præcipiti hoc Petri caſu, quis credat? in altum
It Pictor, ſumma & plauſibus aſtra ſubit.

CHRI-

CHRISTVS INFANS IN MATRIS ſinu Agno blanditur.

Eiuſdem apud eundem Principem.

EPIGR. CLXXXIX.

AGnoſcat riſu Matrem viden aureus Infans,
Illius & ludat bellulus ore ſinu?
Delicium eſt miti Puero mitiſſimus Agnus,
Vellera cui Scythica candidiora niue.
Blanditurque manu tenerà, & complectitur vlnis
Illum candidulis, Agnus & ipſe Dei.
Nempè ſui ſimiles admittit blandulus, atque
Pulcher pulchra cupit, puraque purus àmat.
At quos ſuſpicimus, caue, ne quis faſcinet Agnos;
Egregiè pictos ne rapiatque lupus.

Conſalutata ab Angelo VIRGO.

Auguſtini Caraccij apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CXC.

DEſcenſu facili ſecat Aliger aſtra curuli
Nube, ad Virgineos nec timet ire Lares.
Afflat luce locum: Superi tum iuſſa Senatus
Magna aperit, Cælo quæ latuere diu.
Felix prole tua, Genitrix: eris arbitra mundi:
Aſtra reges; plantas lambet vtrumque iubar.
Illa pauet: mox & paret: magna excipit hoſpes
Et Danae verax, imbre cadente, Deum.
Aligeri hic cernis vultus, hic Virginis ora;
Verbaque ſtant ſummis penè vtriuſque labris:

Hinc

Hinc non effigies rerum, pictaſque figuras;
Sed res eſſe ipſas dixeris hac tabulâ.

CHARITAS CVM TRIBVS pueris.

Lucæ Cangiaſi apud eundem.

EPIGR. CXCI.

PRouida ſum Charitas, vultuq;agnoſcis in ipſo
Quàm ſuauis tenero in pectore flamma calet.
Tergemini hi Pueri mihi curæ: ſæpiùs vlnis
Exceptos, dulce eſt, paſcere lacte meo.
Abſtergo & lachrymas: ſi rident, rideo; ludo
Si ludunt: hi ſunt deliciæque meæ.
Stant nudi: nudos complector ſcilicet illos,
Vt foueam, atque artus candida vela tegant.
Me, Pictor, vultuſque meos dũ fingis ad vnguem:
Pectoris haud æquas vota ter ampla mei.
Das mihi tres Pueros? totus non ſufficit Orbis
Ipſe mihi: non ſunt ſummaque, & ima ſatis.

ADAM, ET EVA poſt culpam nudi.

Opus Franciæ apud eundem.

EPIGR. CXCII.

VOs Tyrio virtus oſtro, byſſòque tegebat;
Veſtis erat limbo diuite & ipſe Deus.
Dira ſed Attalicum culpa hunc diſcerpſit amictum;
Horruit & ſanctus corpora nuda pudor.
Erubuere genæ: fugit verecundia Cæli
Aſpectum, & nudos delituiſſe iuuat.

Primas

Primas dant folia exuuias: tum candida pellis
  Aptius inculto vellere membra tegit.
Hęc tamen hic operit Pictor velamine nullo,
  Ne qua ſuum egregium veſtis inumbret opus.

TRIVMPHALIS DOMINI ingreſſus Hieroſolymam.

Baſſani ſenioris apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CXCIII.

FAllor? an hic Domini ſpectatur pōpa triumphi,
  Qualem Romulidum non meruere Duces?
Non ſublimis equo, non curru vectus eburnō:
  Currus, & alipedes lentus aſellus erat.
Dant oleæ ramos: hæc palma, atq; innuba laurus;
  Pro ſpolijs ſtrata eſt plurima veſtis humi.
En populi, en feſtum pueri Pæana canentes;
  Ecce triumphalis plauſus & aſtra ferit.
Non acies bello captæ, captiua nec æra;
  Non hic belligera rapta trophęa manu.
Sic tamen hæc fingit Baſſanus, vt arte magiſtra
  Tarpeia Auguſtos ſcandere templa putes.
Quin ſibi & ipſe ſuos plauſus è plauſibus ornat:
  In Domini pompa viſus obire ſuam.

CHRISTVS INFANS IN MATRIS ſinu Ioannem complectens.

Marci Senenſis apud eundem Principem.

EPIGR. CXCIV.

MAtris Virgineæ ſinu Puellus
  Vernat in niueo, venuſtus ore,

Aſpi-

Aſpicis? ſimilem oſculatur Infans
Infantem, aureus aureum, & tenellis
Nectit brachiolis ſuis catenam.
Quàm placet Puero Puer decorus!
Putat delicias ſuas tenere
Vlnis implicitas, ſinuque fixas.
Putat carpere lilium, roſamque,
Cum ſe candidulis genis, ſuaſque
Genas apprimit, oſculumque miſcet.
Videt blanditias amoris illas,
Et luſus Pueri Parens, rigantque
Magnæ gaudia Virginis medullas.
Scis, quid te moneat peritus Auctor
Argutæ tabulæ? vt ſicut Puelli
Stringunt brachia Numinis tenellum
Ioannem; pariter Deum tenellum
Sic & tu foueas amoris vlnis.

CHRISTI DOMINI CVNABVLA.

Lucæ Cangiaſi apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CXCV.

CVrru Luna ſuo medio dum ſtaret in axe,
Viſus ab Auroræ Sol micuiſſe ſinu.
Quis ferrugineâ credat ſub nocte coruſcas
Flammiuomum cunas Solem habuiſſe ſuas?
Numen Sol oriens: Aurora puerpera Virgo eſt;
Lucina ipſa ſibi candida Virgo fuit.
Nocti hinc mixta dies: viſę aut radiaſſe tenebræ,
Aut rutilum tenebras explicuiſſe iubar.
Egregiè Lucas mira hæc immiſcuit arte:
Sol noctem, Solem nox habet ipſa ſuum.
Hinc tacitè oranti nox eſt tibi picta tabella;
Si tenebras fugis, eſt ipſa tabella dies.

INNOCENTVM STRAGES;
Doſſorum Ferrarienſium apud eundem.

EPIGR. CXCVI.

REx Solyme, Getule leo, Gangetica tigris,
Quæ tua diuexat viſcera anhela ſitis?
Guttura ſi calidum ſitiunt male ſana cruorem;
Cur, ſciſſo Infantum pectore, lacte rigas?
Oblectant teneræ ſtrages? lactentia membra
Sunt fortaſſe tuæ fercula grata gulæ?
Lachryma te Matrum non mollit? clamor & aſtra
Qui ferit horriſonus, non tua corda ferit?
At nimiùm metuit regnandi dira cupido:
Nam vel ab imbelli bella cruenta timet.
Diſcite ab hac tabulà: Puerorum exercitus hic eſt;
Agmina ſed pauido viſa fuiſſe Ducum.

MAGORVM ADORATIO.
Eorundem Doſſorum apud eundem.

EPIGR. CXCVII.

INfantem Reges ſpectatis paupere cultu,
Et rigidum nudo corpore ferre gelu.
Attamen afflati ſecreto Numine, proni
Lambitis ore pedes, dona & Eoa datis.
Cernitis in Puero quid magnum; cernitis ipſis
In lachrymis, roſeo qui latet ore Deus.
Scilicet, edocuit natum inter nubila Solem
Stella ſuum: tantum nuntiat illa iubar.
Hinc thura, hinc aurũ, ſudata hinc cortice myrrha,
Hinc & corda, Deo munera grata magis.

Regi-

Regibus eſſet adhuc illis ſi vita ſuperſtes,
Hoc iterum vellent carpere forſan iter.
Inſignis traheret tabula hęc: & munera ferrent
Artifici, tantum qui benè finxit opus.

DEIPARAE CVM PVERO IESV, & D. Ioſepho in Aegyptum fuga.

Eorundem apud eundem.

EPIGR. CXCVIII.

QVo pede ſollicito fugitis? per dura viarum,
Perque niues Infans cogitur ire Deus?
Qui tonat, is trepidat? ſtabilis cui Regia Cęlo eſt,
Is fugit? & mundi Conditor exul erit?
Ad Pharias tamen ite Vrbes: Solymeia monſtra,
Sunt Nili monſtris nam truculenta magis.
Nec turpe eſt fugere: ingenio nam Pictor, & arte
Ipſe etiam hanc voluit nobilitare fugam.

ARGONAVTAE.

Herculis Ferrarienſis apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CXCIX.

ARgolica hæc Puppis, fluctus quæ prima furẽtes
Auſa eſt vocali diſſecuiſſe trabe;
Non hyemes timet Aegęas, nimboſque laceſſit;
Frangitque, haud rabidis frangitur ipſa notis.
Quinquaginta intus fulgentes ære Pelaſgę
Molem animant: terrent æquora marte ſuo.
Vela regunt nutu, hybernas nutuque procellas
Frænant; ceu teneant ſceptra ſuperba manu.

Hi

[Q]ui rapuere aurum per mille pericula Phryxi,
Et retulit victrix fulua trophæà ratis.
[Q]uiſquis es, Heroum te prouocat ardua virtus?
Verberat atque oculos velleris ille nitor.
[N]eq; animat Pictor: nauim hanc tibi cōſtruit, aureū
Hac poteris vellus quærere & ipſe tuum.

[M]AGORVM ADORATIO.

Balthaſſaris Senenſis apud eundem Principem.

EPIGR. CC.

NOn capit hunc Puerū pretioſa hęc pōpa, Sabęi
Reges, gemmarum diues & iſte nitor.
[N]oà curui nec onuſti merce Cameli,
Nec nitidi vernæ, nec phaleratus equus.
[N]uda placet pietas nudo: ſine Perſide gaza
Sat fuit ad teneros procubuiſſe pedes.
[S]ed ferat Attalicos maieſtas regia cultus;
Ipſa eſt maieſtas regia nuda Deo.
[N]anque Deo coram nihil eſt ſplendoris, & auri:
Ante Deū & tu, Rex ſplendide, nudus homo es.
[R]egibus hinc Pictor pompam affinxiſſe putabat;
Ipſa hæc ante Deum pompa ſed vmbra fuit.

[D]. HIERONYMVS HINC CRVCIFIXVM, hinc ſaxum manu tenens.

Danielis Volaterrani apud eundem.

EPIGR. CCI.

QVid tua crudeli diuexas pectora ſaxo,
Perluis & multo ſanguine, magne Senex?

Tu

Tu iudex, lictorque tui? tamq; effera dextra eſt,
Audeat vt ſacros dilacerare ſinus.
Exanguis tenet vna manus Cruce penſile Numen,
Altera & immiti pectora rupe terit.
Ille Deus moriens lanienam cernit, & ille
Plaudit, dum numerat vulnera facta ſinu.
Hinc pergit Diuus, præduraque ſaxa fatigat:
Indefeſſa manus, feſſus at ipſe ſilex.
Tam benè qui pingis, Daniel, crudelis & ipſe es;
Namque is ſic dextrà dexteriore ferit.

FORTVNAE IN AVLA improbitas.

Peregrini Bononienſis apud eundem.

EPIGR. CCII.

CErnis in hac tabulâ luſus reuolubilis Aulæ,
Mutataſque leui turbine ſæpe vices.
Quæ fauet immeritis, ſummo fortuna locatque
Cęca loco, meritos decutit illa viros.
Miſcet ſumma imis: ſentina, & puppis in aula
Vix diſtant: penè & conſpicis êſſe ſimul.
Velificare putas fauſtè, aurigantibus aſtris:
At reflante auſtro, naufragus ecce peris:
Parca bonis, at larga malis ſors improba; in aula
Regificâ virtus aurea ſemper eget.
Partes liuor agit primas: quot dirior acri
Dente Lycambęas edidit ille neces!
Tu, ſi fortè cupis nitidam contendere ad aulam,
Fronte ſub auguſtâ diſce quid aula tegat.
Sæpe color mendax vmbra nos paſcit inani:
Nobilis at tabula hæc, credite, vera docet.

B. VIR-

B. VIRGO CVM CHRISTO Infante conſopito, & Ioannes, qui digito ori admoto, ſilentium indicit.

Scipionis Caetani apud eundem Principem.

EPIGR. CCIII.

DVm Puer ad faciles cōponit lumina ſomnos,
Peruigil haud claudit lumina Diua Parens,
Aduigilat Puer & Puero: viden, admonet ori
Indiculum, ſtrepitus & iubet eſſe procul?
Olim clamabit vox hæc: dum dormit Ieſus,
Et ſilet, & digito cuncta ſilere iubet.
Egregiæ & pretium tabulæ ſic monſtrat, & inquit:
Has aptè effigies vis celebrare? ſile.

IOANNES IN DESERTO aquam è riuo hauriens.

Perini del Vago apud eundem Iuſtinianum.

EPIGR. CCIV.

SOliuagum agnoſcis, tunicatum vellere puro,
Textile cui præbet tecta ſuperba nemus.
Aſpicis? vrna breuis fugientes ebibit vndas:
Chio hoc nempè mero pellat vt ille ſitim.
Scis at Ioanni riuus quid murmuret, illi
Munera cum tribuit prætereuntis aquæ?
Non tibi noſtra damus: tua ſunt hæc dona, tuiſque
Roſcida ab aſſiduis fletibus vnda fluit.
Sic loquitur riuus fugiens: nam murmura vt ipſa
Hic reſonent, mirâ Pictor ab arte facit.

PILATVS MANVS ABLVENS.

Lucæ Batavi apud eundem.

EPIGR. CCV.

SAevior Iſacidis, Lictor Romane, Tonantem
Cenſes horrendi ſtipitis eſſe reum?
Quem ſcis innocuum damnas? dum, perfide, damnas
A tam ſacrilegâ labe vacare putas?
Perluis inde manus, velut exitiabile poſſet
Abſterſiſſe ſcelus fuſilis vnda tuum.
Non Tanais, Scythicus tantum non expiet Iſter
Crimen; an exiguus terſerit iſte latex?
Exprimis hęc, Pictor, ſcitè: at quid inutile tentas:
Vndis nempè nigrum proluis Aethiopem.

VICTORIAE COLVMNAE

eximiæ Poetriæ effigies.

Gaudentij à Verallo apud eundem.

EPIGR. CCVI.

HAec illa Aonidum Comes Sororum,
Aut certè Aonidum Soror diſerta,
Et Poetria nobilis Columna.!
Corinna Itala, Lesbis & Latina,
Et Siren Tybris elegans, chorique
Flos Apollinei, decuſque Pindi.
Non cunabula iactat, inclytumque
Genus, magnanimæ aut auita Gentis
Facta, nec minium, roſamqne formæ,
Supra Mygdonias opes, Ducumque
Faſces, ingenium æſtimat; colitque
Artes Pieridum politiores.
Hinc Luſcinia delicata; dulci
Cantu prouocat Italos olores.

Pen-

Pendens ex humeris ebur canorum
Si pulſat facili manu Columna;
Aequat Threijcias fides, & aures
Suſpendit bibulas modis ſuperbis.
Eſt nunc in tabulà ſua ſuperſtes:
Totumque effigies decora Phœbum
Spirat grandiloquum, Deaſque doctas,
Eſt & illa quidem, nec illa: nanque
Ratus pingere nobilem Columnam,
Pinxit Calliopem peritus Auctor.

CHRISTVS D. EXTINCTVS cum duobus Angelis.

Alexandri Veronenſis apud eundem.

EPIGR. CCVII.

Ernitis exanime hic Numen, ſqualētia & ora,
Et quod crudeli vulnere pectus hiat.
Aliger hic geminus: nulla eſt pia lachryma vultu:
Luminaque aſſiduo à flumine ſicca vides.
At cur Alituum non deſcendère phalanges,
Certatim vt ſoluant funera mœſta Deo?
Quò pietas? quò veſter amor? cur pignora tanti
Numinis exiguo cultu inhonora iacent?
Parcite: Cælicolis haud tantum in pectore robur,
Aſpicerent Domini pallida vt ora ſui.
Quiſque ſibi metuit: triſte hinc perſoluere funus
E tot Cælitibus vix potuere duo.

D. MARIA MAGDALENA.

Bronzini apud eundem Principem.

EPIGR. CCVIII.

Hac tabulà ſpirat pallenti fœmina vultu,
Cuius ab irriguis fletibus ora madent.
Quę ſit, ne quæras: illam nam lachryma prodit
Fuſilis, & pietas pallida picta genis.

Poſtquam delicias abiecit Magdala mundi,
Delicias fletus credidit eſſe ſuas.
Quin & in effigie lachrymarum diligit vmbram,
Et verum nectar lachryma ficta liquat.
Aſpicite hanc tabulam: Pictoris Magdala ab arte
Sic lachrymat, triſti vt gaudeat in lachrymâ.

CHRISTVS D. EMENTES, & Vendentes è Templo eijcit.

Checchi à Carauagio apud eundem Principẽ.

EPIGR. CCIX.

VIndicet vt Templũ Dominus, cultũq; Tonãtis,
Penè manu rigidà fulminat, ore tonat.
Flagrans hìc Nemeſis ſic vibrat tortile flagrum,
Terreat vt pariter vox metuenda reos.
Scilicet, in Templo ſic nundinat inſtitor? eſtque
Venale æterni Numinis aula forum?
Hic turbæ, hìc æſtus, clamoſi hic murmura vulgi,
Thurea vbi tacitas excipit ara preces?
Gens intenta lucro horreſcit, metuenſque flagelli,
Viſa ſibi præceps conſuluiſſe fuga.
Diſcite: cum ſemper Dominus ſit mitior agno:
Temnitis audaces ſi pia Templa, leo eſt.
Nempè vel in Templo ſunt inſtrumenta nocendi:
Hic vbi dona pluunt ſplendida, damna time.

D. CAROLVS BORROMAEVS.

Ioannis Lanfranchi apud eundem.

EPIGR. CCX.

CArole, qui pridem exuuijs, terriſque relictis,
Viſus es ad Superos curru abijſſe leui;
Arte Timantæa terras rediuiuus eaſdem
Nunc iterum repetis, vultu iterumque beas.

Non

on tua mentitur viuus color ora, ſed ipſa
Ad viuum haud mendax exprimit ora color.
æc vultu pietas; olim hæc verecundia fronti
Ingenuæ; hæc macies pallida fuſa genis.
arole, tu picta redijſti in imagine: imago
Debuit at ferri ad ſydera, digna loco.

. PAVLVS DAMASCI per murum in ſporta demiſſus.

ntonieti Belgæ apud apud eundē Principē.

EPIGR. CCXI.

MOenia quà Cęlo aſſurgunt turrita Damaſci,
Cernitur hac tabulà Paulus inire fugam.
octe fugit tacità; cautè demittitur altis
Mœnibus; exigua eſt ciſta miniſtra fugæ.
er tenebras Pictor profugum ſic exprimit illum;
Nullus vt in forti palleat ore timor.
empe triumphali quæ texta eſt ſportula palmà,
Palmarem Pauli condocet eſſe fugam.
t tabulam hæ tenebræ commendant; clariùs inde
Lucet opus, dignum ſplendidiore die.

OENA DOMINICA.

Albani apud eundem.

EPIGR. CCXII.

Ydereum nectar quid mendax fabula iactat?
Iactat margaridas quid Cleopatra ſuas?
hriſtigenas Dominus dat veſci lautiùs: illos
Non gemma, aut nectar fuſile, Numen alit.
ena Deo Cęna hæc diues, Cælique medulla eſt:
Qui Deus has epulas porrigit, ille cibus.
uem cernis, latet hic: ſecum niueoque ſub orbe
Delicias mille, & fercula mille tegit.

Pictor, in eximiâ hac neſcis te abſcondere telâ ;
Nam ſubitò ars oculis ingenioſa patet.

CHRISTVS D. INTER DOCTORES.

Riberæ Hiſpani apud eundem.

EPIGR. CCXIII.

PRimo flore æui Dominus puerilibus annis
Quæ non didicerat, promit, & ore docet.
Canicies menti; pondus, ſuadæque medulla
Eſt dictis, fandi & copia fuſa labris.
Stant aure attonitâ circum, doctique profundos
Ad Pueri ſenſus erubuere Senes.
Abramidæ at ſtupeant facundi Numinis ora:
Hoc nos, Pictor, opus cernimus attoniti.

D. IOANNES nudus in Deſerto.

Guidonis Rheni apud eundem.

EPIGR. CCXIV.

PEctore Ioannem nudo, nudiſque lacertis,
Cur ſyluas inter degere, Guido, iubes?
An data Ioanni veterum primæua Parentum
Virtus, quæ viſa eſt degere nuda ſinus?
An quæ de viridi quercu, ſiue ilice nigra
Vmbra cadit, tegeret membra pudica ſatis?
Fortè illum non triſtis hyems, non frigora lædunt,
Vndè nec hirſuto vellere Diuus eget?
Pinge ſed hunc nudum, Guido: ſine diuite cultu,
Quem tu more tuo pinxeris, eſſe nequit.

PETRVS

ETRVS CATENIS VINCTVS ab Angelo liberatur.

Gherardi apud eundem Iuſtinianum.

EPIGR. CCXV.

SEu duros temnas nexus, rigidaſque catenas,
Impauido merſus, Petre, ſoporé iaces.
Nuntius at Cæli ſomnum ſic diſpulit altum,
Vt caderet manibus dira catena tuis.
Hoc mirum: dura quamuis ſis compede vinctus;
Non ideò poteras ſoluere, Petre, minus.
Nec quia poſt liber, ſolidoque ſolutus ab omni
Nexu, tu poteras, Petre, ligare magis.
Nempè eadem ſemper vis Petro, eademq;poteſtas,
Libera ſeu fuerit, ſiue reuincta manus.
Non abit at Petrus, quamuis iam liber; auetque
Pulchrà hac in tabulà nempè manere diù.

MAGDALENA flens, & caput in calua emortuali reclinans.

Riberæ Hiſpani apud eundem Principem.

EPIGR. CCXVI.

QVæ genio blandita ſuo florentibus annis,
Ebria tot marcet Magdala delicijs;
Nunc genio indignata ſuo, moreſque peroſa
Diſcinctos, mutat ſobria delicias.
Aſpicitis? lachrymæ ſunt illi ſumma voluptas,
Et recline fouet mortua calua caput.
Eluit hinc priſcas decurrens lachryma noxas;
Mortua & hinc ſanctè viuere calua docet.
Ingenio Artificis ſic Magdalis ipſa videtur,
Pulchrior à caluà, purior à lachryma.

D. VIRGO ANGELORVM Choris in Cælum vecta.

Nicolai Poſſini apud eundem Principem.

EPIGR. CCXVII.

POſt vota, & lachrymas, poſt & ſuſpiria longa,
 Celſa ſubis tandem ſydera, magna Parens.
Nube per æthereos orbes non vecta curuli:
 Aligerùm ceruix baiula nempè vehit:
Non labor his: dulci bellè ſub pondere anhelant,
 Gaudet & obſequio hoc ambitioſa phalanx.
Aſtris te miſcent, quæ Luna es pulchrior, atque
 Ardent te Soli ſiſtere, Virgo, tuo.
Vt ſit picta bono tabula hęc in lumine, & ipſam
 Quàm meritò ferri lucida ad aſtra decet.

IVVENIS FVGIENS IN HORTO; capto DOMINO.

Iuſti Belgæ apud eundem.

EPIGR. CCXVIII.

CIrcumfuſa phalanx, ferroq; horrenda minaci,
 Inijcit in Dominum dum violenta manus;
Aufugis, abiectà, Iuuenis, tu Sindone nudus,
 Nec puduit vinctum deſeruiſſe Deum.
Nunc teſtanda fides, fortiſque per ardua virtus:
 Nunc fuerat durà fronte probandus amor.
Non tegit hoc facinus nox intempeſta, nec vmbra:
 Amotà retegis ſindone & ipſe probrum.
Nec celat Pietas: factum at ſic arte figurat;
 Turpem vt cogatur quiſque probare fugam.

DAVID

DAVID LEONEM DISCERPENS.

Bernardi Caſtelli apud eundem.

EPIGR. CCXIX.

CErnite Ieſſidæ quæ vis neruoſa lacertis,
Et quod magnanimo in pectore robur erat.
Non timet Herculeo impauidus certare leoni,
Ceu foret Alcidæ par, ſimiliſque manu.
Horrificat fuluam ille iubam; vaſta ora minantur
Exitium; exerto flammeus vngue furit.
Fortiter it contra Iſacides, & pectore nudo
Aggreditur, frangit guttura, dilacerat.
Contigit hæc olim in tacitis victoria ſyluis:
Palmæ qui poſſet plaudere, nullus erat.
Illam ſi tela hac fingit manus impigra; centum
En linguæ, centum plauſibus ora ſonant.

CAINVS IN ABELEM INSVRGIT.

Ioachimi Sandrachi apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CCXX.

AVdes, dire Cain, teneri cunabula mundi
Fraterna Frater commaculare nece?
Quæ fax, quæ pectus cruda inflammauit Erynnis,
Proluat vt ſanctus guttura anhela cruor?
Non dum ferrum acuit rabies: tu ferreus iram
Exacuis: ferro dirior illa fuit.
Erubuit tellus, demiraturque Caini
Ad facinus tantum non rubuiſſe genas. (bræ:
Quàm benè in hac tabulà miſcentur lumina; & vm-
Improbus vmbra Cain eſt nigra, lumen Abel.

MER-

MERCVRIVS ARGVM obtruncat.

Nicolai Poſſini apud eundem.

EPIGR. CCXXI.

NOn ſibi centũ oculis cuſtos ſatis excubat Ar-
Centũ oculis vmbras attulit vna manus (gus:
En Iouis inceſti nutu Cyllenius acri
Vitæque, & vultus abſtulit enſe diem.
Et quæ peruigilis radiabant vultibus Argi,
Stant, Pauo, pennis aſtra ſuperba tuis.
Arte, ſed inſigni tam ſcitè hæc ficta figura eſt;
Cerni vt centum oculis nobile poſcat opus.

IVDAS OSCVLO TRADIT CHRISTVM DOMINVM.

Michaelis Angeli Bonarotæ apud eundem Principem.

EPIGR. CCXXII.

QVisquis delicias horti, ſinuataque caros
Brachia in amplexus, oſcula & ipſa videt;
Non hic bella ſeri, tranquillæ vbi ſymbola pacis;
Sed pulchro innecti fœdere corda, putet.
At noua, proh ſcelus! indicit trux Proditor ille
Bella; per amplexus nempè, & amore duce.
Perfide, ſic prodis perſanctè pignora pacis?
Oſcula ſi produnt; dic, vbi tuta fides?
Nox tegit hoc facinus: Pictor, tuq;adijcis vmbras
Picturæ: at nequijt grande latere nefas.

DEIPARA ſupra nubem cum Puero IESV, qui benedictionem impertit.

Iulÿ Belladonnæ apud eundem.

EPIGR. CCXXIII.

SEdet Parentis in ſinu Puellus,
Nubes & auro picta, penſiliſque
Vtrumque ſuſtinet ſinu decoro.
Tendit Puellulus manum tenellam,
Crucemque ſignat blandulus, beatque
Vultu venuſtulus ſereniore.
Cur ſtare nubem ſupra vterque geſtit,
Materque, Filiuſque? ad alta an aſtra,
Terris relictis, commeare vellent?
Hęrens amor ſed intimis medullis,
Et cura noſtri non ſinunt amantes
Matremque, ſobolemque abire terris.
Catus ſed Artifex ſupra volantes
Nubes vtrumque collocat, ſituque
Præcelſo, vt obtutus procul vagetur;
Et noſtra curent latiùs videndo:
Et nube vt aurea pluant ter amplas
Opes, dieſque ter ſereniores.

ANGELORVM CHORVS.

Tintoreti apud Ducem Saluiatum.

EPIGR. CCXXIV.

ALituum formoſum agmen fulgentibus alis
Hic Tintoreti nobile cernis opus.
Colludunt, volitantque agiles, manibuſq; choreas
Implicitis, gaudet nectere quiſque leues.
Scilicet, hac tabulà gratantur ludere, & ipſa
Ora Timanteà picta fuiſſe manu.

Nam

Nam licet eximia his ſpecies; tamen ipſa venuſtas
A Tintoreto gratior ore micat.

D. MARIA MAGDALENA in deſerto.

Andreæ Conradi apud eundem Ducem.

EPIGR. CCXXV.

MAgdala, quas gemmas amittis in vrbibus, inter
Repperis agreſtes flenſque, dolenſque feras.
Hinc te ſylua iuuat; fluuios & fletibus auges,
Atque per vmbriferas tendis ad aſtra vias.
Turturis hinc gemitus, placet hinc Philomela; vi-
Nanq; ſimul fletus congeminare tuos. (deris
Appingis Diuam ſyluis, vmbriſque cupitis,
Pictor, at illa ſuo lumine clarat opus.

ADAM, ET EVA, & qui poma porrigit Serpens.

Checchini Saluiati apud eundem Saluiatum Ducem.

EPIGR. CCXXVI.

HIc Pater eſt hominū, hæc Genitrix: modò corpora pulchra
Numinis artifices compoſuere manus.
Par decus eſt fronti, fuluis par crinibus aurum,
Atque eadem in gemino palpitat ore roſa.
Nec ſatis hæc; terris ſiquidem dominātur, & aſtris,
Et lambit dominos bellua ſæua pedes.
Tot bona quàm vili vendunt! ſua ſcilicet vno
Omnia pro pomo dona dedere leui.
Cernis in hac anguem tabulà poma aurea dantem:
Callidus, heu, finxit, ſe dare, ſed rapuit.

D. FRAN-

D. FRANCISCVS dignatur CHRISTI vulneribus.

Ciuoli apud eundem Ducem.

EPIGR. CCXXVII.

VIuit, an emoritur Franciſcus, cuſpide fixus
Aligeri, cum alto vulnere pectus hiat?
Viuere fortè putas? at num lethalia fluxam
Vitam vulnifici ſpicula amoris alunt?
Eſt ergo exanimis: pallenti at palpitat ore
Vita: quis hunc igitur dixerit exanimem?
Dum viuit, tamen is moritur: vitalia nanque
Vulnera, & inſpirant vitam, adimuntque ſimul.
Nimirum ætherei ſunt hæc miracula amoris;
Mira, hæc dum fingit, Pictor & ipſe facit.

VENVS, ADONIS, CANES vna in tabula.

Titiani apud eundem Ducem Saluiatum.

EPIGR. CCXXVIII.

HAc pulcher picta in tabula venatur Adonis,
Veſtigat ſyluas vis & odora canum.
Cernis & hic Venerē: non ceruam hæc ſectatur, & aprum:
At Venatoris libera præda ſui eſt:
Idalium terit illa nemus; Cæloque relicto,
Quam Iuuenis ſyluam territat, illa placet.
Abſtulit hos olim, teneroſque extinxit amores,
Cum dente, immiti & vulnere ſæuit aper.
Nunc Veneri, Titiane, iterum tu reddis Adonim,
Et redit in molli pectore priſcus amor.
Acriùs atque ardet: ſiquidem Venator ab arte,
Ingenioque tuo pulchrior ille redit.

SENEX

SENEX CYMBALVM PVLSANS.

Tintoreti apud eundem.

EPIGR. CCXXIX.

HVc ades, eſt oculos quod pulchrè oblectet, & au-
Cymbala dũ fidicē verberat iſte ſenex (res,
Quam digitis pulſat, picta eſt, & muta cupreſſus:
Audis ſed muto à pollice penè melos.
It per ebur non lenta manus vocale, feritque
Teſserulas; ſpiſſo à vulnere nulla quies.
Non virtus effęta Seni; volucriſque vagatur
Huc illuc; mille it dextra, reditque vias.
Sic ſenium mulcet, grandęuæ & tœdia vitæ,
Nam ſonuiſſe iuuat, dum ſenuiſſe piget.
At tacitas reſonare fides, digitoſque moueri
Immotos, facit hoc ingenioſa manus.

MARTHA, ET MARIA in eadem tabula.

Biliberti apud eundem.

EPIGR. CCXXX.

HIs amor vnanimis, vitæ ſed diſpare cultu:
Impigra nam Martha eſt, Magdala fixa Deo.
Tota miniſterio Domini vacat illa; ſed iſta
Orans, tota ſibi, delicijſque ſuis.
Quam bene in hac tabulà ſpirat Soror vtraq: mores
Innectunt pulchro fœdere nempè ſuos.
Quiſquis es, Artificis poſtquam laudaueris artem,
Ne pigeat Diuam nectere vtramque ſimul.
Hinc Mariæ vultus, vultus hinc exprime Marthæ,
Sanctior à gemino vertice Ianus eris.

ECCE

ECCE HOMO.

Scipionis Caetani apud eundem Ducem.

EPIGR. CCXXXI.

PVlcher è niueo ſinu Parentis
Natus virgineo, beat decoro
Vultu, ſeu videt ipſe, ſeu videtur.
Nihil pulchrius aureis capillis,
Nil & purius ore vidit vnquam
Tellus ſydereo, inclytaque fronte.
Maieſtas, lepor, grauis & venuſtas
Lucebant ſpecie; fuitque totus
Plenus delicijs, amabiliſque.
At nunc cerne vices: quid ira poſſit,
Sæua quid rabies Stygis cruentæ,
Viuus edocet hac color tabellà.
Homo eſt, non homo: nobilis figura
Defluxit roſeis genis, nihilque
Eſt formæ reliquum venuſtioris.
Horret cæſaries reuincta dumis:
Frontis lilia vanuere, nulla
Vibrat lux oculis: probrum adde ſceptri,
Adde & purpureæ probrum lacernæ,
Regem dicere nunc potes dolorum.
Pictor, vt populo Deum cruentum
Oſtendit Latialis ille Prætor;
Sic & te digito, tuamque telam
Oſtendit populus, ſtupore fixus:
Hic eſt nobilis, inquit, ille Pictor.

DEIPARA, PVER IESVS, D. Ioſeph, Angelus porrigens poma.

Palmæ ſenioris apud eundem.

EPIGR. CCXXXII.

IEſſæa Mater, & pudica Virgo
Hic Numen vlnis confouet tenellum;

Hic

Hic Sponſus almæ Virginis Puello
Blanditur oſculiſque, verbuliſque.
Hos inter Aliger volans, odorum
Donarium picto attulit quaſillo,
Decerpta Cælo pulchra nempè poma.
Auet Puer diuinus è caniſtro
Enata mala lucidis in hortis
Pulchra, & tenellula manu tuliſſe.
Anhelat, ardet, lacteamque dextram
Fictus licet ficto inijcit quaſillo.
Olim ille Zeuxis, artifex Pelaſgus;
Luſit volucres aureis racemis
Flauentis vuæ: Palma tu perito
Zeuxi peritiorque, doctiorque,
Hac Numen ipſum decipis tabellà:
Cupitque ficta poma luſus Infans.

D. IOANNES EVANGELISTA.

Furini opus apud eundem.

EPIGR. CXXXIII.

Est hæc Tonantis, aſtra qui frænat, Iouis
  Imago picta doctius?
Regina volucrum, alti & ſatelles Numinis,
  Appicta telæ hoc indicat.
Hæc illa nanque auis, miniſtra fulminum,
  Quæ mundum, & aſtra territat.
Procul ſed hinc fabella mendax, ſcilicet
  Hìc eſt amatus Numini,
Qui grandis inſtar Aquilæ ad aſtra nobili
  Penna volauit, intima
Hauſitque viſu pectoris ter maximi,
  Medullam & abſtulit cedri.
Hinc verba plena Numine: hinc oracula
  Audita nunquam gentibus;

Alti-

ltiloquus hinc & ſermo, ſecretæ tuba
Diuinitatis clarior.
Hic ſermo, Pictor, Iconi deeſt tuæ;
Nam viuit illa, & palpitat.
deoque Volucris illa iſthinc non euolat,
Ne deſerat Diuum ſuum.

O: BAPTISTA IN EREMO.

Morandi apud eundem Ducem.

EPIGR. CCXXXIV.

S Iſte hic, nam pretium eſt moræ,
Syluas vmbriferas, & juga montium,
t ſpiſſas nemorum comas,
Et picta Aſsyrijs arua tapetibus
uxu cernere diuite.
Hic intonſa viret quercus, & ilice
nnexa, æſtiferos feræ
Ramis Herculeæ pellit anhelitus.
Hic è cautibus arduis
Decurrit tenui murmure riuulus,
erque herbas pede tortili
Proſerpit virides, prataque florida.
erne hic ruſtica rupium,
Et fontes gelidos, imaque vallium;
erùm hac eſt tabulà breui,
Si neſcis, aliquid pulchrius aſpici.
n ſub paupere tegmine
Aſſuetus rigidis incola ſyluulis.
ellitus recubans humi,
Sylueſtri recreat melle famem, & ſitim
uris irrigat imbribus.
Arctoa haud refugit ſydera, nec gelu,
ancri aut brachia torrida.
Eſt & frons eadem ſub Ioue nubilo.
ſthæc aſpera, & arduam
Vatis ſuſpicimus nobilis indolem,

Artem & ſuſpicimus tuam ,
Pictor , grandiloquo qui facis Incolà
Dignas, & rigidas ſpecus ,
Vmbras & nemorum , ruraque inhoſpita,
Dum pingis facili manu :
Creſcitque ingenio gratia floribus .

DIVA AGATHA.

Eiuſdem Morandi apud eundem Saluiatũ.

EPIGR. CCXXXV.

IMmanem contra pugnat generoſa Tyrannum,
Virgo, nec exterret , qui flagrat ore furor .
Ille ardet, vibratque minas : ardentior illa ,
Quæ ſit magnanimo in pectore flamma , docet .
Nec mora : vt imbellis Virgo exhorreſcere diſcat,
Vbera virgineo ſecta fuere ſinu .
Tormenti genus inſuetum : nunquam ira cruorem
Quæ ſitit , effuſo guttura lacte rigat .
Hac tabulà at damnũ reparas, Virgo inclyta,quãdo
Pectore quæ modò erant lilia , cerno roſas .

D. CATHARINA V. ET MARTYR.

Eiuſdem apud eundem.

EPIGR. CCXXXVI.

ENſem dum video manu coruſcum ,
Propè & vulnificæ, volubiliſque
Argumenta rotæ ſeueriora ;
Agnoſco Phariæ ſtatim Puellæ
Vultus, nomina , pectoriſque magni
Vigorem intrepidum , indolemque fortem .
Hæc illa eſt Catharina , ſtirpe clara ,
Et oris ſpecie venuſtioris ,
Acrique ingenio erudita Virgo .
Imbellis rigidum edomat Tyrannum ,

Cum

Cum dat impauidè ſecanda colla,
Et ferrum caput amputat decorum.
Quæ vicit, meritum tulit triumphum:
Hinc victrice rota petens Olympum,
Flauo & vertice laureata, plauſus
Inter Cælituum locatur aſtris.
Pictor, magnanimæ trophęa Diuæ
Pulchrè congeminas tuis tabellis.
Alterum Catharina nam triumphum
Duxiſſe, his reputat tuis tabellis.

NGELVS IOANNIS BAPTISTAE caput manu tenens.

Baſſani ſenioris apud eundem Ducem.

EPIGR. CCXXXVII.

ALigerum hic cernis caput inſuperabile magni
Vatis ſubtriſti fronte tenere manu.
ilicet immiti lictor dum diſſecat enſe,
Alto fędari puluere, turpe putat.
inc ne tangat humum, pernix volat ille, comàque
Prenſum ſanguineà, dum caderet, retinet,
irat in exanimi vultu imperterrita virtus,
Et lingua è muto gutture terret adhuc.
caput ante necem hoc vidiſſet regia Pellex,
Baſſane, hoc verum dixerit eſſe caput.
ontenta hinc vno, haud aliud petijſſet, & enſis
Non eſſet tanti criminis ille reus.

LAZARVS è ſepulchro rediuiuus.

Tintoreti apud eundem.

EPIGR. CCXXXVIII.

QVem mors pallida Lazarum ſepulcri
Clauſit carcere, tænijs reuinctum,

Munitis adamante, aheneoque
Vecte, quæ prohibent redire, ſeptis:
Vox en altiloqua *vt* tonat iubentis
Dei, puluere protinus relicto,
Vitæ dulce iubar videt ſuperſtes.
Mirantur facili ſoluta nutu
Lethi vincula, compedeſque duras.
Vident è tumulo, velut cruentis
Ereptum vnguibus horridæ leænæ,
Vaſto è gutture ſeu voracis vrſæ,
Voratam ſemel exijſſe prædam.
Hinc ſtant attoniti ſtupore fixi,
Suis penè oculis fidem abrogantque.
Hæc tu dum renouas colore viuo,
Tintorete, iterum ſuis ab vmbris
Redit Lazarus ille, bis renatus.
Tuque ab ingenio, manuque viues
Pluſquam Neſtoreum perennis æuum.

DEIPARAE TRANSITVS, adſtantibus Apoſtolis, & pſallentibus Angelis.

Morandi apud eundem Ducem.

EPIGR. CCXXXIX.

VIrgo, diù tenuit te tellus: ardua Numen,
Et Pater, & Soboles diſtulit aſtra diù.
Nunc gemmis ſignanda dies tandem illa refulſit,
Quæ redimat merito ſydere læta caput. (alas
Pallida mors procul hinc: volucres amor addat &
Magnæ Animæ: debet Mater amore mori.
Biſſeni en circum Patres: pubeſque choreas
Aligerùm vnanimi pectore concelebrant.
I fauſtè: i, ſequere ardentis veſtigia cordis:
Cor ſiquidem pennà mobiliore præit.

Deli-

Deliquia hæc pulchrè morientis Virginis almæ
Exprimis in tabulis, docte Morande, tuis.
Delicias inter poſtquam expirauerit Illa;
Viuet adhuc terris picta colore tuo.

MAGDALENA AD CHRISTI ſepulchrum.
Guidonis Rheni apud eundem.

EPIGR. CCXL.

HEu, rapuere meũ Dominũ, rapuere ſepulcro
Numen; delicias, heu, rapuere meas.
Quid reliquum? aſſiduis niſi mergere fletibus ora,
Me miſeram & tumulo hoc cõdere, ſpeſq; meas.
Magdala ſic loquitur viua hac in imagine: verba
Qui proferre dedit triſtia, Guido fuit.
Nempè ſuas Pictor ſic erudit ille figuras,
Proferat vt voces quæque figura ſuas.
Eſt qui verba negat, mutus? da pingere Rheno;
Gutture facundo verba diſerta dabit.

CHRISTVS MORTVVS inter duos Angelos flentes.
Baſſani ſenioris apud eundem Ducem.

EPIGR. CXLI.

HIc vbi mors ſpirat defuncti in Numinis ore;
Diſciſſa & multo vulnere membra vides;
Fronte graui geminus te prouocat Aliger; vt tu
Noſcas, quò Numen flebile duxit amor.
Cæli dulce iubar pallet: quæ ſuſtinet Orbem
Immenſum ceruix, ſanguinolenta labat.
Ceu leo barbaricus ſæuiſſet, corpora nuda
Aſpicis indignis dilacerata modis.

Hæc par Cælituum oſtendunt monumenta doloris,
Vt, quod te nimiùm Numen amauit, ames.
Hoc monet & Pictor; longum mirabile in æuum
Cuius in extincto Numine viuet opus.

VIRGO DEIPARA FLENS.

Pulcherrimũ Titiani opus apud eundẽ.

EPIGR. CCXLII.

VIrginei vultus violas, violiſque remiſta
Lilia cur triſtis lachryma, Virgo, rigat?
An quæ ſpirantis Nati obuerſatur imago
Mœſta oculis, oculos eliquat illa tuos?
An qui ſecretis amor æſtuat ignibus intus,
Poſtulat hoc gemino è fonte refrigerium?
Numinis an velles tu, Diua, rependere diram
Mortem, & pro roſeo ſanguine das lachrymas?
Quid moror at, Virgo? è geminà manantibus vrnà
Fletibus, hos amor, hos elicit ipſe dolor.
Et ſuadent lachymæ, non te pinxiſſe figuram:
Quæ pinxit, Pietas nam, Titiane, fuit.

DEIPARA, CVM PVERO IESV, & D. Ioſepho in Aegyptum fugiens.

Barocci apud eundem Saluiatum.

EPIGR. CCXLIII.

SYdereum ne, Virgo, tuum fera bellua Natum
Deuoret, Iſacidùm Regna inimica fugis.
Niliacas petis & terras, Cælo auſpice: longæ
Aſpera nec metuis damna ſubire viæ.
Tu tibi ſternis iter: placida tu fronte ſerenas
Aera; quà pergis, florea ridet humus.
Ipſaque lacteoli mellita infantia Nati
Mollia duritiem ponere ſaxa docet.

Chri-

Chriſtiparam, Sponſumq; pium, Sobolemq; Barocci,
Tu Pharios iterum cogis adire lares.
Hoc opus interea peregrina in Virgine, rarà
Arte peregrinum, credite, ſemper erit.

ECCE HOMO inter duos Angelos flentes. *Albani apud eundem.*

EPIGR. CCXLIV.

HEu, quò ſydereos vultus, ſpeciemque decoram
Dira hominum rabies duxit, & ira ferox.
Spina comam pectit: cuſpis millena cruentat
Frontem: ſanguineo vanuit ore decus.
Cernis? queìs nunquam corrupit lachryma vultus,
Aligeri venà diuite collachrymant.
Quo te par eſſet lachrymarum flumine mergi,
Cum Superos largo fonte madere vides?
Mira tibi, Albane, ingenij eſt induſtria, & artis:
Nanque ſimul Superos flere, homineſque doces.

CHRISTI CRVCIFIXI IMAGO. *Pauli Veronenſis apud eundem.*

EPIGR. CCXLV.

QVi digitis librat pendentia ſydera, & axes
Aſtrigeros; dirà penſilis ipſe Cruce eſt.
Quique Orbem portat ceruice immobilis Atlas,
Illi dilabi languida colla vides.
Stat riguis Genitrix oculis: ſtat Magdala: fortè
Spiranti vellet quæque leuare ſitim.
Intempeſtiuis viden, vt Sol aureus vmbris
Ora Timantæo velo operire ſtudet?
Sic bellè dolor exprimitur velamine ducto,
Quem doctæ haud poterant explicuiſſe manus.

Paule, ſed hòc mirum : natura vbi languit ipſa ;
Hic tua plus ſolito ars ingenioſa viget.

D. FRANCISCVS AB EXTASI deficiens.

Biliberti apud eundem Ducem Saluiatum.

EPIGR: CCXLVI.

AEſtuat, & languet Franciſcus : viua medullas
Vrit, quæ tacito in pectore flamma latet.
Languentem ſtipate animam, fragrantia mala :
Fulcite, ambroſiæ ſaucia corda roſæ.
Lictor amor dulcis per vulnera dulcia Diuum
Deliquijs torquet, delicijſque ſuis.
Seu nimium nectar, nimia aut vindemia amoris
Ebria demerſit pectora, victa mero.
Hæc reliquas, Biliberte, tuas præit vna figuras;
Ni potius Diui hanc Icona pinxit Amor.

D. DOMINICVS extaſi item abreptus.

Eiuſdem apud eundem Ducem Saluiatum.

EPIGR. CCXLVII.

COmpar Franciſco, & ſimilis Guſmanius, altū
Vulnus alit venis, languet & igne pari.
Oblituſque ſui, tellus ceu ſordeat ima,
Cælo hæret, fixus mente, oculiſque Deo.
Nempè vbi Diuus amat, pernicibus euolat alis
Diui anima, & corpus deſerit ipſa ſuum.
Hinc pallent vultus, tenuiſque hinc halitus ori,
Palpitat exanimi & pectore vita breuis.
Hoc grauius, Pictor, tibi; quod tabulis dare vitam
Suetus, nunc illis cogeris abripere.

MAG-

MAGDALENA IN DESERTO.
Guidonis Rheni apud eundem.

EPIGR. CCXLVIII.

HOrrorem ſyluis, antriſque ſilentibus auget
  Magdala, dum ſyluis degit, & antra tenet.
Squalida nanque comas, triſtes & pallida vultus,
  Arua, nemus, quercus horridiora facit.
Pectore quæ clauſo erumpunt ſuſpiria, nigram
  Concutiunt, veluti flante aquilone, ſpecum.
Quid gelidi abruptis labentes cautibus amnes?
  Nonne nouo à Diuæ fletibus amne tument?
Magdala ſed rigidas ſyluas magis aſperet; illæ
  Arte tua vernant, Guido, virentque magis.
Sic etenim bellè tabulas, ſcitèque coloras,
  Vt ſint deliciæ, Rhene, quod horror erat.

RELIGIOSI VIRI EFFIGIES.
Titiani apud eundem Ducem.

EPIGR. CCXLIX.

ISte cucullatus, grauis ore, & fronte verendus
  Inſigni hac tabulà quis, Titiane, tua eſt?
An declamator facundæ fulmine linguæ
  Territat auritum vulgus, & ore tonat?
Anne Mineruales artes, plaudente theatro,
  Edocet, & cultis iura dat ingenijs?
An curis tandem, rerumque incanuit vſu,
  Et tenuit morum publica fræna diù?
Attamen haud quærenda iſthæc, Titiane. Quis ille?
  Quæque viri virtus? muta tabella docet.
Sic animum, & mores in vultu pingis, vt illum
  Quiſque ſtatim eximium dixerit eſſe Virum.

HERO.

HERODIAS IOANNIS CAPVT manu tenens.

Eiuſdem Titiani apud eundem.

EPIGR. CCL.

HAec Soror,& coniux,pellex,& adultera Regis
  Iſacidum, illa lues, illa leæna ferox.
Grande caput ſacrà immeritò è ceruice reſectum,
  Ceu ad delicias dextra cruenta tenet.
Improba, non vultus horres, frontemque minacem?
  Muta licet lingua hæc, muta flagellat adhuc.
Te nanque exanimis ferit acriùs illa· tacendo
  Indicat, haud plecti crimina poſſe ſàtis.
Hinc, Titiane, caput meritò hic pingis: ea Pellex
  Lictore vt ſemper vapulet ipſa ſuo.

CHRISTVS mortuus, collachrymans Mater, & ſupernè Angeli.

Palmæ apud eundem Ducem Saluiatum.

EPIGR. CCLI.

HInc Deus exanguis, confoſſus vulnere multo,
  Fronte alius, gelido ſqualidus ore iacet.
Nixa genu extinctũ Genitrix hunc Numen adorat,
  Virgineas largo flumine fuſa genas.
Sic functo Mater ſoluit pia funera Nato,
  Atque ſuo vellet contumulare ſinu.
Aligerùm ſed mœſta phalanx cur aere pendet?
  Nec Domino cernis ſoluere iuſta ſuo?
En, Palmæ ingenium: addubitant, pendentq; Parẽtĩ
  Iuſtiùs, an Nato lugubre funus agant.

CVIVS-

CVIVSDAM VENETORVM Ducis effigies.

Titiani apud eundem Saluiatum.

EPIGR. CCLII.

VT ſceptrum Adriacum potens, & Vrbis
Frænum magnificæ manu perennet
Cautà Principis huius, inclytoque
Faſces è ſolio diù miniſtret;
Hunc tu, Protogenes nouus, figuras
Perbellè, Titiane. Viuit ille
Præclara hac tabulà ſuperſtes, annis
Suis longior, & perennis æuo.
Cornu fulgurat aureo verendum
Caput: perque humeros chlamys ſuperba
Picta it murice, Ponticaque pelle
Subſuta, & Phrygio decora limbo:
Velut regnet adhuc, ſuos ſupremo
Frænet & populos, regatque nutu.
Iſtam ſi tabulam togatus Ordo,
Ciuiſque aſpiceret; Ducem putaret
Hunc verum; geminoque ſe ſubeſſe
Sceptro Cornigerùm Ducum videret;
Sciſſum hinc mobile vulgus Adrianæ
Faſces diuidet potentis Aulæ,
Huic ſuum obſequium ferens, vel illi,
Partes, ſed, Titiane, conuenirent,
Dum de Principe diſcrepant honore,
Vt tuam vnanimi colant tabellam.

D. VIRGO CVM PVERO IESV.

Raphaelis apud eundem.

EPIGR. CCLIII.

QVem pareres, Natū Gabriel tibi nuntiat olim,
Et niueo Mater concipis ipſa ſinu.

Ac

At Raphael Natum tibi nunc appingit eundem,
Et colludentem colla per alba vides.
Vtri, Virgo, magis debes? ſi vera fateris,
Munere te Raphael ſplendidiore ligat.
Nanque latet Natus, Gabriel quem nuntiat; atqui
Quem Raphael pingit, lacteus ore beat.

FILIAE LOTH PARENTEM inebriant.

Biliberti apud eundem.

EPIGR. CCLIV.

EN geminæ vt mergunt Patrē cratere Sorores;
Indomitum Senior ſorbet & ille merum.
Hinc iucunda quies, grauis & ſopor occupat artus:
Sopito hinc Soboles vtraque plena Patre.
Quàm turpe eſt, Patrem inceſtos genuiſſe nepotes;
Tam turpe eſt, natos ſic peperiſſe Patri.
Diſcite metiri fumantia pocula: monſtra hæc
Horrida parturiunt Bacchus, & ipſa Venus.
Cernis in hac tabulà vinum miſcere Puellas?
Non poterat pellex hinc procul eſſe Venus.

ECCE HOMO, deficiens Deipara, quam Magdalena ſuſtentat.

Corregij apud eundem Ducem Saluiatum.

EPIGR. CCLV.

HIc vbi Rex Superùm Iſacidū ſpectāda theatro
Fœdata innumeris exhibet ora modis;
Mater adeſt, heu, non Mater: vix illa ſuperſtes,
Cuius ſemianimi è pectore vita fugit.
Aſpicitis? lachrymans languentem ſuſtinet vlnis
Magdalis, excipiunt brachia deliquium.

Fal-

Falleris at, Pictor; tantũ haud dolor auſus, vt ingẽs
Vincat, quod magna in Virgine robur erat.
Indoluit, fleuit: dolor eſt in pectore tanto
Magnanimus; manans lachryma fortis erat.
Erratum tu, Corregi, ſed corrigis ipſe;
Defectum ſimul & pingis, & imminuis.
Quam ſiquidem exanimem tu pingere credis, eodẽ
Ingenio viuit, ſpirat & illa tuo.

CHRISTI D. BAPTISMVS.
Albani apud eundem.

EPIGR. CCLVI.

SYdereum noſtro velatum corpore Numen
Ioannis riguo perluit amne manus.
Ne tergi, mergique putes pia membra: ſuperni
Non eget hac vnda Numinis ille nitor;
Si ſapis, ille latex nos reſpicit: vndaque noſtra eſt:
Scilicet, hoc noſtrum flumine crimen eget.
Nos lauat hæc vnda, Albane: at tu perluis vndam;
Namque vbi tu pingis, purior illa fluit.

CHRISTVS D. cum Samaritana.
Eiuſdem apud eundem Ducem.

EPIGR. CCLVII.

AD fontem Dominus ſedens, anhelo
Vires dum recreat labore feſſus;
Adeſt en Samaris, ſupraque fontem
Fontem repperit alterum, perenni
Manantem ſcatebra, ſuiſque celſa
Euntem riguis aquis ad aſtra.
Quouis vberiorque, puriorque
Fonte Fons erat ipſe Rector Orbis,
Cælo ductilis, irrigansque terras.
Hunc Fontem Mulier loqui diſertè
Audit: copia diues ibat ore

Dicen-

Diſentis, fluminſque cultus auro.
Hinc bellè, puteo ſuo relicto,
Illa has quærit aquas perenniores,
Seque hoc proluit amne; feruidumque
Viſum haud ampliùs eſt ſitire guttur.
At quid pulchrius hac, amœniuſque
Albani egregià, breuique tela?
Hìc fontis ſaliunt ſonantis vndæ:
Quod mirere magis, fluente riuo,
Vndis immaduit tabella nunquam.

CIRCVMVENTA A SENIBVS Suſanna.

Guercini apud eundem.

EPIGR. CCLVIII.

AD placidâ ſtagnat quâ fons pellucidus vmbrâ,
Inter odoratas ludit & vnda roſas;
Pictas pulchra genas, flauo & Suſanna capillo,
Huc adit, vt tacitè membra pudica lauet.
Nec mora; ab inſidijs correpti Cypridis igne,
Inſiliunt gemini, qui latuere, Senes.
Horruit Infelix, tortos ceu viderit angues
Serpere in amplexus, fundere & ore luem:
Ardet canicies: audent: generoſa repellit
Illa Senes: amor hinc certat, & inde pudor.
Splendida Suſannæ pingis, Guercine, trophęa:
Quæ vel nuda ſinum reppulit vna duos.

GANYMEDIS RAPTVS.

Titiani apud eundem Ducem.

EPIGR. CCLIX.

VIs mira eſt arti, vis mira coloribus, acre
Quos miſcet, doctè & temperat ingenium.
Dant

Dant rapidos aquilæ curſus,dantq; vnguibus vncis
Et rapere, & prædam ferre repentè Ioui.
Territus it Puer Iliacus: curuum abijcit arcum;
Aſpicis atque aquilæ ad furta latrare canes.
Quã merito hinc certãt Raphael,& fabula: pulchrè
Effinxit raptus Ille, vel Illa magis?
At ſint ambo pares: hoc diſpar: nomine ad aſtra;
Quì finxit Raphael, cum Ganymede ſubit.

LVCRETIA ROMANA.

Petri Cortonenſis apud Altempſios.

EPIGR. CCLX.

PEctore ſuffixum niueo penetrabile ferrum,
Qui vultus, pulchra hæc quæ ſit imago, docet.
Hæc illa egregij exemplum immortale pudoris,
Vir, ſi tela vides; fœmina, ſi ſpeciem.
Impigra dum noctu vigilat; ſubijſſe penates
Tarquinium, formam vi temeraſſe fuit.
Indignata furit Lucretia; quas dare pęnas
Ille nequit, ferro protinus ipſa dedit.
Transfoſſoque ſinu; libato à corpore ſoluens
Pulchram animam, vindex eſt generoſa ſui.
Odit, Petre, tuam tabulam, Lucretia: namque
Tu morientem animas, dum cupit illa mori.

PORTIA, BRVTI CONIVX, Catonis filia.

Eiuſdem apud eoſdem.

EPIGR. CCLXI.

MAgnanimi hæc illa eſt Soboles generoſa Catonis,
Grandi haud inferior mente Catone ſuo.
Ille manu forti ſcidit ſua pectora ferro:
Intrepida hæc ignem ſorbet,& emoritur.

Hinc

Hinc magno haud cedit fortiſſima Portia Patri,
Quæ ſubit vt lethum nobile, viſa Cato eſt.
Aptius at, Pictor, ſi tu vis pingere; mutet
Argutè effigies ingenioſa manus.
Da Soboli ferrum, flammas concede Parenti,
Sic erit hic Soboles, ſic erit illa Cato.

SAMSON LEONEM DISCERPIT.

Ioannis Lanfranchi apud eoſdem.

EPIGR. CCLXII.

HOrrida nil iuuit ceruix, nil torua leoni,
Frons, nil magnanimi pectoris ira ferox.
It contra Iſacidùm Alcides interritus: illum
Nec mora: diffracto gutture, fundit humi.
Non nemorum fulmen, non intractabile robur,
Non ora, aut vngues horruit ille truces.
Herculeam, Lanfranche, feram ſic pingis, vt ira
Ardeat, & rigidà fronte minetur adhuc.
Hunc iterum Samſon ſi offenderet ille leonem,
Qui cœdit viuum, cederet exanimi.

DIDO FERRO INCVMBENS.

Guidonis Rheni apud eoſdem.

EPIGR. CCLXIII.

ILiaco ſpretam ſe vidit Eliſa marito,
Quo ſine triſte putat viuere, dulce mori.
Plurima teſtatur lachryma immedicabile vulnus:
Incuſat, queritur, pectore nulla quies.
In ſua fata ruit tandem imperterrita vultu,
Nudus & exhauſit pectora nuda chalybs:
Optaſſetque rogum, vt ferro inſectetur, & igne,
Qui fuit indomiti cauſa doloris amor.
Hoc opus inuità, Guido, Didone peractum:
Anxius ingenium nam timet illa tuum.

Dum

Dum pingis, metuit, rediuiuo in pectore ſæuus
Ille iterum redeat ne rediuiuus amor.

CVRTIVS IN VORAGINEM ſe ſe dat præcipitem.

Apud eoſdem Altempſios Titiani opus.

EPIGR. CCLXIV.

Fortia, & facere, & pati, Latinum eſt;
Inquit Curtius, inclytus, Latini
Decus nominis, ille fortiorum
Vir fortiſſimus; ille, cui Gradiui
Indoles inerat; deditque magnæ
Pectus plenum animæ ſagata virtus.
Ergo pro Patria Latinus Heros
Mortem præcipiti ſubire caſu
Auſus, alipedem ferociorem,
Ora & flammiuomum impulit: profunda
Hinc equum, atque equitem vorago ſorbet.
Olim tanto operi decora laurus
Contigit meritò, & fauor Quiritum.
At cum vectus equo ſublimis acri,
Tua Curtius ardet in tabella
Hiantes iterum ſubire fauces;
Hæc illi, Titiane, clara laurus:
Hæc merces melior, decuſque maius:
Inclareſcere ſcilicet peritâ
Tam clari Artificis manu, vel arte.

CLOELIA TYBRIM TRANAT.

Guercini à Cento apud eoſdem.

EPIGR. CCLXV.

Peruigiles Romana obſes generoſa fefellit
Excubias, ſubit &, quà via nulla, Tybrim.

Nauigat, alternis pulſat fluctuſque lacertis ;
Flauentes nudo & pectore frangit aquas .
Ipſa ſibi prora, & puppis , quæ nauita : vela
Inflat amor Patriæ ; clauus & ipſa ſibi eſt .
Plauſit Romulidum pubes tibi , Clœlia, iure
Inter magnanimos adnumeranda viros .
Verùm ſi tabulà nunc te ſpectaret in iſta ;
Non tibi, Pictori plauderet illa tuo .

THOMAE MORI EFFIGIES.
Van-Holbenij Angli eximium opus apud Marchiones Creſcentios.

EPIGR. CCLXVI.

SIc Mori vultus expreſſit Pictor ad vnguem ,
Vt dicas, poſt tot ſecula viuit adhuc .
Ingenio, calamoque vices reuolubilis æui
Vicit, inocciduo & nomine fama viret .
At vitam, vt reparet, Solis velut vnicus Ales ,
Illius hæc melius viuida imago facit . (ren,
Hic Zeno , hic Samius ſpirant : canit Anglica Si-
Attica & hìc riguo melle ſuſurrat Apis .
Iura dat hinc populis: generoſam ſuſpice frontem ,
Regis adhuc temnit frons generoſa minas .
I, caput intrepidum, Rex improbe, cęde ſecuri :
Qui caput inſtauret nobile, Pictor erit .

PHAETONTIS CASVS.
Pauli Veronenſis apud Cæſios.

EPIGR. CCLXVII.

FLammiuomi tentat dũ fræna capeſſere currus,
Et rutilas Phaeton Solis inire vias ;
Temnit inexperti Iuuenis parere lupatis ,
Ardua quadriiugus lora nec audit equus .
Raptan-

Raptanturque rotæ per deuia ſydera, caſu
Pręcipiti, & Rector, currus & ipſe ruit.
Diſce tui cautè laudatas flectere habenas:
Exitium, rectè ni moderere, propè eſt.
Pictor ita hæc finxit, delectet vt ipſa ruina:
Tu tamen haud præceps ſic cecidiſſe velis.

ELIAS IN CAELVM RAPTVS curru igneo.

Petri Pauli Rubens apud eoſdem.

EPIGR. CCLXVIII.

SYdera grandæuus conſcendat vt ardua Vates;
Mira vides, volucri turbine flamma rapit.
Flammaq; currus erat: rapidi fræna ignea mordent
Alipedes; ardent temo, agileſque rotæ.
Quid moror? haud flammas exhorruit Ille curules:
Inſilit, & celeri ſcandit ad aſtra gradu.
Per flammas ſiquidem, rerumq;per ardua eundum,
Qui volet Empyrei dulcè cubare ſinu.
Teque animat Pictor: pictum nanque edocet illum
Eſſe ignem, qui te lucida ad aſtra vehit.

MACHABAEORVM MATER inter filiorum funera.

Andreæ Sarti apud eoſdem Cæſios.

EPIGR. CCLXIX.

CErne mares animos, magnũq;in pectore robur
Fęmineo: diras non timet illa neces;
Pectus inerme illi: at ſinus impenetrabilis, acre
Ferrumque, & Libycas prompta vorare feras.
Septenam cernit Sobolem certare Tyranno,
Perque ignem, & chalybem fata ſubire ſua.

Illa ſuas numerat palmas ; interrita nanque
  In Sobole & pugnat, vincit & in Sobole ,
In tabulis nunc, Sarte, tuis depicta triumphat ;
  Quæ toties vicit ter generoſa Parens .
Partitur tecum & ſua laurea ſerta; tuumque
  Ipſa triumphali fronde coronat opus .

D. PAVLVM VIPERA impetit in Melitenſi Inſula.

Ioſephi Arpinatis apud eoſdem Cæſios.

EPIGR. CCLXX.

VIx Melitem tenuit Paulus, cum vulnerat acri
  Dente catenatam vipera ſæua manum .
Excutit ille feram, quæ conſcia criminis, vltrò
  En mulctat flammà ſe propiore ream .
Mutius illato quòd vulnere fallitur; ardet :
  Ardet lethalis vipera, quod feriat .
Intrepidum fingis, Pictor, mordente Colubro,
  Paulum, cui facilis palma leæna foret .
Si non arſiſſet truculenta hæc vipera; pulchrum
  Quàm benè laudaſſet lingua trilinguis opus .

HENRICVS, ET ANNA BOLENIA in eadem tabulà.

Apud N. Geſnerum Anglum.

EPIGR. CCLXXI.

HIc Pater,& Coniux,& adulter;adultera & illa
  Inceſti pellex, filia, ſponſa Patris .
Scilicet, hic ille Henricus , qui ſceptra Britanna
  Dum tenet, inceſtat moribus ipſe ſuis .
Illa eſt Angla lues,Bolenia, cæſa Marito ,
  Dum violat multo Coniuge coniugium ,

Quiſ-

uiſquis es, vtrumq; hac tabulà qui cernis eadem;
Vultus pende duos, confer & ora ſimul.
mpudens quis fronte magis? quis & indole nequã
Nequior? hic Sobolem vincit, an illa Patrem?
'ictor, at Henricum tam bellè pingis, & Annam,
Nulla ſit vt vultu in diſpare diſparitas.
.itiget improbitas: dubio in certamine certa
Inter Pictores, pulchraque palma tibi eſt.

ELISABETHAE ANGLORVM Reginæ effigies.

Apud eundem Geſnerum.

EPIGR. CCLXXII.

Regina hæc dubijs oritur natalibus, illi
Incertus Pater eſt, certa ſed ipſa Parens.
Nempè ſinu fudit Bolenia caſta; Marito,
Regali & thalamo cui fuit æqua fides.
Illa ſed & dubij Patris, certæque Parentis
Induit ingenium, par & vtrique fuit. (gitſ
Quæ renuit Sponſum, virum amat: ſine coniuge de-
Attamen haud cælebs eſt, vacuuſque thorus.
Ludit nanque procos hos illos innuba Pellex:
Caſtaque virgo tenus nomine, Thais erat.
Ampliùs haud ſcopulis latras fera Scylla Britãnis:
Diræ teque Stygis ſæua Charybdis habet.

IACOBI ALBANI GHIBBESII Poetæ laureati effigies.

EPIGR. CCLXXIII.

CÆſareum agnoſco Vatem, videoq; reuinctam
Pieriam meritâ Daphnide cæſariem.
Cæſaris hoc munus: cultâ hunc tu laude coronas:
Fronde ſacra crines implicat ille tuos.

Exornant te centum artes : eſt Attica Pitho ;
Eſt & flexanimus Tullius ore graui.
Aoniam regis at citharam;tua gloria prima eſt ;
Pectere facundo pollice fila lyræ.
Nec quercus, aut ſaxa moues ; trahat Orpheus iſta;
Tu nanque Auguſtos in tua plectra vocas.
At, quàm tu ſimilis, Ghibbeſi, es carmine Phœbo ;
Pictor hic effinxit tam tibi te ſimilem.

GYGANTOMACHIA.

Petri Pauli Rubens in Villa Burgheſiana.

EPIGR. CCLXXIV.

ASperat hanc pictam bellum illætabile telam ;
Aſpicis ? horrificat martius ipſe color.
Hinc Serpentigeros fratres, & vaſta Gygantum
Corpora; fulmineos cernis & inde Deos.
Audent Terrigenæ Cælum oppugnare lacertis
Mille ſuis; temnunt tela triſulca Iouis.
Diffractos vibrant montes ; his itur ad aſtra
Rupibus, his terrent ſydera Centimani.
Diffugere Dij : trifido ſed Iuppiter igne
Intonat horrendùm, monſtraque cœſa cadunt.
Integit igniuomo haud vno ſub monte ſepultos,
Exſufflatque minas ore flagrante ſuas.
Cerneret hanc tabulam ſi mendax Iuppiter ; hoſtes
Quos ſudit, poſſet iure adamare ſuos.

HERCVLES IOLES AMORE captus.

Annibalis Caraccij in eadem Villa.

EPIGR. CCLXXV.

LErneæ inuictus qui turgida diſſecat hydræ
Colla renaſcentis, monſtraque nulla pauet;
Ille Molorchæi domitor, terrorque leonis,
Geryonis victor, victor Amazonidum :

Hercu-

Hercule nunc poſito, ſpolio exutuſque leonis,
Lydia fęmineo pollice penſa trahit.
Claua ferox colus eſt: hirtus cui fronte capillus,
Imbribus Aſsyrijs immaduere comæ.
Illa lacertorum quò vis euanuit? & quò
Igneus Herculei pectoris ille vigor?
Blanditijs, roſeiſque genis hunc frangit Iole;
Et quem non terrent monſtra, puella domat.
Te docet hìc Pictor: fuluæ fuge Virginis ora:
Indomitum mollis fęmina robur alit.

D. FRANCISCA ROMANA cum Tutelari Angelo.

Guercini in eadem Burgheſiana Villa.

EPIGR. CCLXXVI.

EXimiâ pingi, Guercine, hæc debuit arte,
Dardana quam genuit Roma, aluitq; Deus.
Inuita hæc nupſit: vidua eſt ſed iuncta marito:
Cum vidua extincto eſt Coniuge, nupta Deo.
Nunquã hinc ſola minus Frãciſca eſt inclyta, quàm
Vnanimi procul à Coniuge ſola fuit. (cum
Sola ſed an fuerit Vidua hæc, cui fronte ſerena
Aliger aſſiduus viſus adeſſe comes?
Hæret at huic Ales tabulæ: Cuſtodis egebat
Peruigilis, tantum qui tueretur opus.

CHRISTVS D. APOSTOLORVM pedes lauat.

Pomarancij in eadem Villa.

EPIGR. CCLXXVII.

PRoluit hìc inopum Dominus veſtigia nuda,
Pronus & affusà tergere geſtit aqua.

Sydeream ipſe ſuam ceſſiſſet Aquarius vrnam;
Ipſe ſuo vellet rore rigare pedes.
Cernitis? attonita Petrus ſtat fronte: recuſat,
Abnuit: indignum Numine credit opus.
At ceſſit monitus: ſubitòque it peluis in orbem,
Puluereoſque lauat fuſilis vnda pedes.
Hac tabulà, Pictor, nihil eſt, quod perluat vnda:
Ipſæ à te ſordes ſcilicet arte nitent.

IONAS A FACIE DOMINI fugiens,

Volaterrani in eadem Villa.

EPIGR. CCLXXVIII.

INuito profugus dum Numine tranat Ionas
Pontum, & ſecurus velificare putat;
Edocuere ſtatim Boreaſque, Euruſque furentes,
Ventis fruſtra dari vela, reflante Deo.
Scilicet, exceptus vix puppi eſt transfuga; euntem
Cum ſubitò in puppim dira procella fremit.
Hinc Aquilo, hinc Africus certăt, tumuere ſuperbi
Fluctus: ſciſſa en vela, carina, latus.
Si neſcis, te tempeſtas petit horrida, Iona,
Te mare, te vaſto piſcis & ore vorat.
Naufragus it Vates; & tutus nauigat: Illi
Remigium, nauis, nauita Cetus erat.
Quod tabulà hac cernis, totum illætabile viſu eſt;
Vis boreæ, puppis naufraga, & ira maris.
Arte tua, Pictor, fit delectabile totum:
Vis boreæ, puppis naufragă, & ira maris.

IONAS A BALENA EVOMITVR.

Eiuſdem in eadem Villa.

EPIGR: CCLXXIX.

QVi mergi viſus, puppi deiectus ab alta,
Excipit hoſpitio Bellua amica ſinu.

Aede hac veliuola tranat mare naufragus Hoſpes,
Spumanteſque minas non timet, Eure, tuas.
It vectus Ceto, & ceu Methymnæus Arion
Pſallit, & arguto carmine mulcet aquas.
Tandem dimiſſus vaſto de gutture liber,
Ignoto iacuit littore fuſus humi.
Hunc niſi viuentem vomuiſſet Bellua; Pictor
Artifici poſſet nunc animare manu.

INNOCENTVM PVERORVM coedes.

Annibalis Caracci apud Matthæios.

EPIGR. CCLXXX.

EXplicat, heu, nimiũ ſpectacula dira tabella hęc;
Nulla vnquam tales edidit ira neces.
Huc illuc volitat miles lymphatus, & enſe
Lacteola Infantum pignora mille metit.
Pectore diuellunt matrum: ferrum accipit ille
Gutture; huic ſciſſo è pectore vita fugit.
Diſcerpunt, ſæuè lacerant, riguiſque minuta
Lachrymulis, roſeo & ſanguine membra natant.
Nil valuere preces; vultus nil matribus vngue
Fœdaſſe, & ſciſſas nil laniaſſe comas.
Quos necat at lictor, rediuiuos matribus offers
Caracci, doctus nempè animare neces.

ELIAS A CORVO PASCITVR.

Eiuſdem apud eaſdem.

EPIGR. CCLXXXI.

PEllitus Vates vmbroſi vertice degit
Carmeli, Cælo par, propiorque Deo.
Hinc audit ſuperum laudantia ſydera Numen;
Diſcit ab his ſupero pſallere & ipſe Deo.

At

At quia non terram ſcindit, nec falce recurua
Demetit arua, illum dapſile Numen alit.
It præpes Coruus, ſuſpenſamque vnguibus affert,
Soliuagi Vatis quæ leuet eſca famem.
Ille rapax genio, genium nunc mutat, & vngue
Quam retinet, prædam non amat ille ſuam.
Altrix Eliæ magni, menſæque miniſtra,
Annonà hac nimiùm nobilitatur Auis.
Addidit & pretium Pictor; nigramque volucrem,
Aut aquilæ, aut cycno reddidit ille parem.

GOLIATH ISRAELITICA laceſſit caſtra.

Palmæ ſenioris apud eoſdem.

EPIGR. CCLXXXII.

VAſta mole vides, velut arietet aſtra, Gygãtem,
Arduus & Cælum vi penetrare velit.
Eſt ærata manu pinus; ſtat vertice caſſis
Lemnia, flammifero pectus & ære tegit.
Fronte, oculiſq; minax, rigidam quatit horridus haſtã;
Agmina & Iſacidum prouocat ore truci.
Ceu nouus Enceladus ſicula erupiſſet ab Aetna,
Caſtra pauent, ſubito contremefacta metu.
Pingere tu ingentem poteras, vaſtumq; Gygantem,
Pingere nanque aptè grandia, Palma, tuum eſt.

DAVID GOLIATHI CAPVT amputat.

Eiuſdem apud eoſdem.

EPIGR. CCLXXXIII.

INtegra qui vultu perterruit agmina, riſit,
Ieſſidem vt fundà vidit adeſſe leui.

Tune,

Tu ne, Puer, vaſtis certare Gygantibus audes?
  Verbere & intorto fundere poſſe putas?
Huc ades, huc facilis volucrũ modò præda futurus;
  Non te frons torua hæc, viſa nec haſta necat?
Ille ſed impauidus tumidæ conuicia linguæ
  Temnit, magnanimà rem peragitque manu.
Expedit & fundam, circumrotat, excutit; ictu
  Fulmineo immanis ſternitur ille Gygas.
Obtruncatque caput ferro execrabile: fortis
  Hæc Iuuenis fronti laurea, nempè caput.
Noluit at Pictor, totum hunc periſſe, furentes
  Permiſit vultu nam ſupereſſe minas.

HERCVLIS LABORES.
Annibalis Caraccij in Farneſiorũ domibus.

EPIGR. CCLXXXIV.
AMphitryoniadem rediuiuum cernere fortè,
  Si cupis, hæc, hoſpes, tecta ſuperba ſubi.
Caraccj hic ille ingenio viuitque ſuperſtes,
  Conficit & durà monſtra cruenta manu.
Hic iterum cędit Lernam, & reuirentia colla;
  Hicque Molorchæus ſternitur ille leo.
Aſpicis Anthæum perfractum guttura? Thracis
  Aſpicis immanes & Diomedis equos?
Semifer en latro, ſæui en Buſyridis aræ,
  En domitus clauà vindice, taurus, aper.
Scilicet, Alcides redijt: da nanque Caraccios,
  Credite, non deerunt Amphitryoniadæ.

ABSALON E QVERCV PENDENS.
Bramantis opus apud Mutos.

EPIGR. CCLXXXV.
INfelix Iuuenis ſpreti fugit agmina Patris;
  Obuia & imprudens in ſua fata ruit;

Ipſe

Ipſe ſui vindex : quercu ſuſpenditur aureo
Crine ſuo : externà non eget ille manu .
Quercum fortè ipſam, ſint quamuis viſcera dura,
Formoſum Iuuenem detinuiſſe piget .
Viuit adhuc : fixit non dum fera lancea pectus :
At figat ; Pictor non ſinet iſte mori .

CLEOPATRAM ASPIS MORDET.

Bramantis eiuſdem apud eoſdem.

EPIGR. CCLXXXVI.

QVæ nuda pectus, ſtrenuoque vultu,
Circumuoluta frigidis Chelydris,
Acri ſecandos dente dat lacertos ;
Hæc illa Regum ſanguis, & Canopi
Regina, ſceptris an decora pellex ?
Olim genarum purpura triumphat,
Et crinis auro, lilijſque frontis.
Hæc tela cudit igneus Cupido ;
Hæc illa mollis vibrat ; his Latinos
Duces ſubegit laureatà pellex.
At victa tandem Romulis carinis,
Adornat aureà fugam volùcrem
Puppi; metuſque conſulit ſaluti.
Timet ſed anxiùs, trophea Romæ
Ne vincta adaugeat ſuis catenis.
Hinc anguis illi gratus ; hinc catenis
Circumplicari maluit colùbrum,
Et dente Marſo concitare fatum.
Auguſtus addere at nequit triumphis
Faſtum Canopi, Fœminæque magnæ :
Tu, Pictor, alter Zeuxis, arte clarus,
Arguta telam dum manus colorat,
Illam ſuperbum ducis in triumphum,
Victore ceu felicior Latino.

D. CATHARINA V. ET MARTYR.

Raphaelis apud Cencios.

EPIGR. CCLXXXVII.

HAnc tabulã Vrbinas, ſi neſcis, pinxit Apelles;
Admouet ille iterum te, Catharina, rotæ.
Virgineum haud vexat corpus rota ferrea; robur
Grande ſed intrepidi pectoris illa docet.
Attamen eſt Pictor rigidus tibi, Diua, tyrannus;
Vexat & innocuus te propiore rota.
Nanq; pati cuperes, & quòd te haud torqueat atrox
Tam propè picta rota: hoc torquet & illa magis.

D. FRANCISCI STIGMATA.

Corregij apud eoſdem.

EPIGR. CCLXXXVIII.

LAnguet Franciſcus, nec fert ſua vulnera: vultus
Ipſe docet, vexet quis pia corda dolor.
Dic age, Diue, fodit dirà quis cuſpide nudum
Corpus? & vnde tuum ſciſſile pectus hiat?
Aliger ille fuit, Cæli armiger? anne cruentum
Numen? an intorto fulmine dulcis amor?
Olim Diuus Amor, Numenque, atque Ales acutis
Ardentes telis impetiere ſinus.
Vnus nunc Pictor lictor tuus eſſe videtur:
Pingendo haud vno vulnere membra ferit.
Tela habet hæc tela: hinc langues, & cogeris iſtà
Inſigni hac tabulà pictus, amore mori.

FOR-

FORTVNA MALIS BENEFICA, aduerſa bonis.

Hyacinthi Geminiani apud Auctorem.

EPIGR. CCLXXXIX.

Est quod peritâ peruigil Artifex
Hac te tabellâ commonitum velit.
Quæ picta narrat tela ſcitè,
Conde ſinu memori, Viator.
Agnoſcis ore, & crine volubili
Deam volucrem: ſceptra potentiâ
Quæ temperat; mundi ſibique
Arrogat imperium ter ampli.
Vides, vt aurum diuite copia
Indaſque gemmas dextera diſſipet?
Hinc nempè diteſcunt ſuperbo
Improbitas, vitiumque luxu.
Contra proteruis calcibus impetit
Virtutis omnes nobilis aſſeclas,
Preſſoſque dira ſorte; ſemper
Dura pati iubet immerentes.
Ne cede acerbis morſibus inuidæ:
Contemne crinem mobilis aureum
Fortunæ, & inſanas, leueſque
Gangis opes reputa micantes.
Fortuna maior ſcilicet hæc erit,
Fortunam iniquam temnere ſtrenuè:
Nanque in maligna ſorte ſortem
Sæpiùs inuenies amicam.

GREGORII PONT. XV. EFFIGIES.

Arpinatis apud Ludouiſios.

EPIGR. CCXC.

Qvàm meruit regnaſſe diù Ludouiſius: Illi
Par grandi ſolio nobile pectus erat,

Con-

Contigit at ſerò Latiæ cui Inſula Romæ;
Imperium viſus deſeruiſſe citò.
Ergo tam volucris pennati fulminis inſtar
Principis & vita, & vitta Latina fuit?
Fallimur: & mundi faſces extendit, & annos,
Quæ laudata diù fama ſuperſtes erit.
Aſpice & hanc telam: mirà quæ ſpirat ab arte,
Gregorium effigies non finit iſta mori.

VRBANI PONT. VIII. EFFIGIES.

Dominici Zamperij apud Barberinos.

EPIGR. CCXCI.

QVæ vultus pingit, non vltra it dextera vultus:
Frontem, non mores exprimit illa tuos.
Pictor hic argutus finxit ſic ora terampli
Vrbani, vim ipſam mentis vt ore legas.
Quis fuerit: grandi num exarſerit indole pectus,
Quæque inerat virtus moribus, ora docent.
Par ſceptro, plectroque fuit: quo fœdere grato
In vultu Phœbum cernis, & eſſe Iouem.
Miſcuit has ſcitè regnandi, & Apollinis artes:
Iura dedit Muſis, iura dedit populis.
Quæ propior Gentilis Apis ſtat, dulce ſuſurrat
Pontificis laudes, Pictor, & ille tuas.

CLEMENTIS PONT. IX. EFFIGIES.

Cyri Ferri apud Roſpilioſos.

EPIGR. CCXCII.

QVi tabulâ hac ſpirat Clemēs, fuit Vrbis & Orbis
Lux breuis; at famâ ſydus inoccidu um.
Hunc regnaſſe parum dices? pende inclyta facta;
Aequaſſe & ſceptrum ſecula iure putes.
Non Clemens, comis viſa eſt Clementia frænos
Romuleos dextrâ ſed tenuiſſe leui.

Id

Id curæ, Veneto vngues exacuiſſe Leoni,
Poſſet vt Iſmarias dilacerare feras.
Sanctior Alcides humeris Minoia regna
Ipſe diù viſus ſuſtinuiſſe ſuis.
Communi at perijt luctu : & quæ ſola remanſit,
Nos hac in tabulà Principis vmbra beat.

CLEMENTIS PONT. X. EFFIGIES.

Maratti apud Alterios.

EPIGR. CCXCIII.

LOngæuus prenſas, Clemens, dũ Romula fręna;
Imperium timuit Dardana Roma breue.
Ardor at egregiæ mentis tibi ſufficit annos;
Creuit & à curis vis generoſa ſinu.
Roma ſed & gaudet, geminas quod imagine vitã:
In Solio viuis, viuis in effigie.
Vota hinc Romulidum flagrant communia; vt æuo
Nempè pari Clemens viuat, & effigies.

MARIANNAE HISPANIARVM Reginæ effigies.

Hiſpani Pictoris apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CCXCIV.

EFfigiem, Marianna, tuam ſic tela figurat,
Vt te, haud effigiem Roma videre putet.
Hinc te Bethis habet, ſimul & colit Itala Roma,
Heſperiam & vultu nobili vtramque beas.
Cernimus atc triſti cinctam velamine frontem:
Pergis an auguſti fata dolere Viri?
Immeritò: ſceptrum nam cum modereris, & Aulã,
In te nempè Virum nunc redijſſe vides.
Quæque prius fueras tantùm Marianna; Philippu
Nunc es ter magnus, & Marianna ſimul.

MAR-

MARGARITAE AVSTRIACAE Auguſtæ Leopoldi I. Coniugis effigies.

Apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CCXCV.

HAec nata magno Soboles Philippo,
Auguſta Cæſaris throno refulget:
Nec addit Auguſtæ thronus ſuperbus,
Mundique ſceptrum ſplendidum Latini
Quicquam nitoris, fulgidique cultus.
Sui renidet Margaris micanti
Virtute pectoris; ſuaque luce
Augere auitas cernitur coronas.
Nec forma creſcit oris, aut venuſtas,
Si pingat ora nobilis Timantes:
Id nanque frontis eſt decus ſerenæ;
Eſt illa vultu amœnitas pudico,
Vt reddat artem gratioſiorem:
Et quiſquis Illam pinxerit; peritum
Imago grandis hunc facit Timantem.

TERESAE AVSTRIACAE Gallorum Reginæ effigies.

Apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CCXCVI.

HEroina, tibi ſpirat nix Gallica vultu,
Crinaliſque fluit colla per alba Tagus.
Regibus Hiſpanis nam altis natalibus ortæ
Sequana Gallorum ſceptra timenda dedit.
Aurataſque tibi ſi pinxit Iberia cunas,
Inclyta dat thalamum Gallia, dat Solium.
Latiùs at regnas: hac nanque in imagine viua
Dum te Roma videt, ſe tibi Roma dicat.

CHRISTINAE SVETIAE
Reginæ effigies.

Apud Cardinalem Azzolinum.

EPIGR. CCXCVII.

CVm Romæ degas, Chriſtina Auguſta, Quirites
 Aſpectu ſatias ſæpiùs ipſa tuo.
Te videt aſſiduò Gens Romula; teque videndò
 Aſſiduò, cupit hinc illa videre magis.
Sic frons illa placet generoſior; ille venuſtus
 Sic placet & mixtus cum grauitate lepor.
Hic lepor, hæc pictà grauitas in imagine lucet:
 A te nanque tua haud diſcrepat effigies.
Hinc tibi creſcit amor, ſtudiũ geminantq; Quirites:
 Quando teque colunt, effigiemque tuam.

ALEXANDRI CARDINALIS
Montalti effigies.

Apud Sabellos.

EPIGR. CCXCVIII.

PIctor Alexãdri licet exprimat inclyta ad vnguẽ
 Ora; in magnanimà ſiſtimus haud facie.
Maieſtas inerat fronti: ſed regia virtus
 Maior ab arcano viſa micare ſinu.
Auguſtos æquat, non cenſu, at diuite dextrà;
 Semper vt Attalicas fundere vellet opes.
Garrula Troianum Alipedem quid Græcia iactat
 Graiugenos centum continuiſſe ſinu?
Præſtat Montaltus, finxit quod fabula: nanque
 Haud vnus grandi in pectore Cæſar erat.

ANTO-

ANTONII CARDINALIS Barberini effigies.

Apud Barberinos.

EPIGR: CCXCIX.

E Terris abis, Antoni, ſed in icone perſtas :
Occidis ; extinctum reſtituitque color.
Sic te nanque nouus nunc repræſentat Apelles,
Quiſque vt te nuper fata obijſſe neget.
Regius eſt fronti genius : vel picta videtur
Munera magnificè ſpargere prona manus.
Hinc ficta in tabulà veros colit inclyta vultus
Roma, & delicias pergit amare ſuas.

LEONIS ALLATII Vaticani Bibliothecarij effigies.

EPIGR. CCC.

MVſæum, Allati, viuum, ſpiranſque Lycèum ;
Dædala cui magno in pectore Pallas erat :
Te Chios, Aegæo genuit circumflua ponto ;
Excepit gremio Roma ſed alma ſuo.
Hæres Vrbe diù : doctas hic condis Athenas ;
Ingenium hìc cudit nobile digna cedro.
Vaticana tibi paret Sapientia : cultis
Tuque præes ſummo iure voluminibus.
Ciuem hinc Roma ſuum dicit, quæ tempore longo
Fouit : quæ Patria eſt, ſed negat ipſa Chios.
Decertant veluti pro ſtirpe inſignis Homeri :
Illa ſuum iactat, te, Leo, & illa ſuum.
Pictor at hanc litem dirimit ; telàque renatum,
Cunas Romæ illum fecit habere ſuas.

IVDICIVM FINALE in Vaticano Sixti Sacello.

Bonarotæ opus.

EPIGR. CCCI.

Prætermiſſum caſu hoc Epigramma, reponi hìc debuit: opportuniùs fortaſsè vltimo loco, quando ſupremam mundi cataſtrophophem repræſentat.

QVisquis es, horreſce: en facies triſtiſſima rerũ,
Gens hominum è tumulis en rediuiua ſuis.
Audis penè tubam: pallet, tremit anxiùs Orbis:
Naturæ funus, buſtaque adeſſe timet.
Nox aſtra inuoluit, ferale micantia: Soli
Exanimi illachrymat, commoriturque Soror.
Miſcet cuncta horror: fera terret mortis imago:
Mallet ſub vaſtà rupe iacere reus.
Stat plenum irarum Numen, ſolioque minatur;
Vultu ardet, nutu fulgurat, ore tonat.
Conſpicis hęc pauidus funeſto pariete picta,
Et tacitè hæc tecum cogeris ipſe loqui.
Iudicium rebar venturum flebile mundi:
Fallor; non veniet; venit at illa dies.

FINIS.

ROMA-

ROMANA SCVLPTVRA

LIBER SECVNDVS.

SCVLPTVRAE PROEMIVM.

QVAE non in tenui telâ, niueâque papyro,
Marmore ſed viuo, ſolido bimariſque Corinthi
Aere Ducum vultus duco, ſpirantia & ora;
Huc vltrò prædura adſum Statuaria: nanque
Neſcio quo gelidum feruet mihi Numine pectus,
Cogor & elinguis concepta euoluere verba,
Queis ſæpè attentas vis enthea verberat aures.
Quæ cautes, fuſumque aurum, ſimulacraque muta
Erudio ad voces, facundaque guttura reddo;
Cur non ipſa loquar, dictante Heliconide Muſa,
Senſuſque euulgem, ſecretaque pectoris imi?

Noſcite me primùm à vultu, cultuque: decoras
Exornat nix pura genas: non fucus Iberus
Decipit: haud fuluus componitur arte capillus:
Non Phrygia variatus acu me velat amictus;
Aurea nec roſeos ſuſpendit fibula textus.
Nam, quæ tota intus verſor, rerumque figuras
Quas fingam, mecum ipſa agito, formoq;reformoq;
Haud vacat exornaſſe comas, & murice vultus
Pingere,& auratã haud curæ eſt ſplendeſcere pallã,
Fœmineas ſupra vires nunc corpore toto
Cerne toros, pectuſque amplum,validoſq;lacertos.
Hi nerui, hoc mihi robur ineſt, cui marmora dura,
Indomitaſque manu, & ferro perfringere cautes,
Et Paron, & rigidam curæ eſt mollire Caryſton,
Vertere & in formas centum Temeſea metalla.
Is labor edurat vires: occalluit inde
Trita manus, quam nulla ſilex, aut ſculptile ſaxum
Vicerit, aſſuetam æternis educere vultus
Rupibus, & nullis obnoxia caſibus ora.
Vrbibus hinc ſplendor,populuſq;hinc nobilis alter;
Hęc ornant monumẽta operũ Regũ atria,& aulas;
Hæc fora nobilitant, addunt pretiumque theatris.
Cerne tot egregijs Capitolia ad aſtra triumphis
Surgere: mole æquant Cælum; non parcitur auro
Cæſaribus: pulchrè Romana ſuperbia certat
Artificum curis: huc confluxiſſe ter ampli
Et mundi luxum, Regumque æraria dices.
Ipſa ego ſum tanti meritò pars magna nitoris,
Sculptura: & quicquid miratrix Roma laboris
Eximij quondam Tarpeia vidit in arce,
Noſtræ opus egregium fuit hoc, & gloria dextræ.
Ipſa triumphales currus, Genteſque reuinctis
Poſt tergum manibus; raptas & Marte cruento
Arſacidum exuuias, Pœnoque ex hoſte trophæa,
Phidiacâ expreſſi interraſo marmore dextrâ.
Quid Patriæ Patres, ſublimi in parte locatos,
Et circum trabeata Ducum longo ordine ſigna,
Fron-

'rônte graui, violentum & adhuc ſpirantia Martē ?
Ios ebur , hos aurum fingit, ſed pollice noſtro :
Me, Polycletæis liqueſcunt æra caminis
Auſpice , & in vultus marmor ſe ſe induit omnes ;
Inde etiam laudum ſumo argumenta mearum .
Nanque domi, clariquc foris quicumque fuere ,
Seu victrix hos Roma dedit, ſeu Græcia fortis ;
Poſtquam cæſaries, mutato incanuit auro,
Caſſide ſub durà; æquantes & prælia palmis ,
Aſpera tractarunt felicibus arma trophęis ,
Etſceptris auxere nouis ſua ſceptra ; ſubacti
Et populi didicere pati victricia fræna :
Belligera aut poſtquam Iani clauſere bifrontis
Templa, diù leges rexere, & publica grandi
'ura ſupercilio, & paci excubuere togati ;
His, poſt tot pace, & bello facta inclyta, & æuum
Plauſibus exactum ; contingere pulchrius vnquam
Nil poterat, noſtro quàm fingi marmore , vultus
Et proſtare foro ; digitoque oſtendere vulgus
Illuſtres animas, nudo vel in ære verendas .
Hæc ſeptimgeminæ largiri præmia Thebæ :
Hæc & Sparta ſuis Ducibus : clareſcere Graiæ
His ſignis voluere ſuos Heroas Athenæ .
Hac animas viſi, & lethum mercede paciſci
Fabricij, Curijque mares, rigidique Camilli ,
Scipiadæ & fortes, & lentà Maximus irà .
Conſtantine, tibi incaluit quoque nobile pectus ,
Et poni ſimulacra cupis . Tua Roma ſecundat
Hæc tandem vota, & ſeris labentibus annis,
Quà Vaticano conſurgunt culmine templa ,
Magnanimo celſum alipede, & ſpumantia fręna
Torquentem, gelidoque efflantē è marmore flāmas,
Te poſuit . Berninus opus mirabile finxit ,
Italus ille Myron ; ſaxis ſpirantibus Vrbem
Qui Latiam exornat, famàque ſuperſtite in æuum
Ipſe ſimul longum milleno in marmore viuet .
Nunc age , quæ noſtras ars æquet Dædala laudes ?

Auſis tu ne, Soror, paribus concurrere dextris ?
Et picturatas ſtatuis opponere telas ?
Sic tibi laurigera blanditur palma, palæſtram
Vt tentes ? nec te Sculptura exterreat acri
Ferro ardens ? Ortus iactant an ſecula priſca ?
Prima ego ſed repeto cunas ab origine rerum,
Artifici Numen dextrà cum corpora finxit
Prima hominum, ſupera & vultus erexit ad aſtra.
Duratura breui pingis tu lina : ſed ipſa.
Marmoreas duco, immortalique ære figuras,
Quas non tempus edax, non vlla adraſerit ætas.
Tu fallax, Pictura, leui mentiris in vmbra,
Imponiſque oculis, ſpecieque illudis inani :
Non ego decipio : ſolidaque in imagine vero
Accedo propiùs : ſaxo quodcumque figurat
Dextra operoſa, probas attactu, atque vndiq; cernis.
Quid labor, & frontem riguam liqueſcere, dura
Molliùs vt diſcant effingere marmora vultus ?
Tu facili, pictura, manu rem conficis, atque
In tenui labor eſt : quid habet tua dextera nerui ?
Adde, quòd imprudẽs ſi quid color errat, & vmbra;
Expungis, deles, ſubita emendatque litura :
Si manus at cælo peccat; quis vulnera ſanet
Marmoris, & ferro quicquid ſemel excidit, addet?
Quantum eſt magnifici verſari in luce theatri,
Et cerni ſimulacra foro, nec pariete claudi :
Et turrita palam ſiſti ad Pretoria; viuis
Perque meas ſtatuas manare è fontibus vndas ?
Tu plerumque lates, procerum tectiſque repoſtis
Semiſepulta iaces; arcana & contegit vmbras
Vmbra tuas, Pictura, bono nec lumine perſtas.
Vtere tu tandem fuco, Soror inclyta; candor
Me iuuat, ingenuus niuei qui pectoris index.
Aera nec immeritò, operoſa & marmora iacto,
Vt noſcas, Pictura, meis quàm nobilis inſit
Curiſque, & ſtudijs grauitas : quo pondere culti
Ingenij monumenta mei mens ardua libret.

At

At te fortè pudet vinci? laurumque decoram
Victrices vmbrare comas, tua pectora torquet?
Non equidem pulchræ tangor dulcedine palmæ
Vſque adeò, vt renuam partiri munera laudis.
Egregiæ quicquid plauſus concedo Sorori,
Acceſſiſse mihi reputo. ſit lancibus æquis
Nunc diuiſus honor: cedat par gloria vtrique;
Illam verſicolor faciat ſua tela venuſtam,
Gemmatiſque parem pauonibus: audiat Iris,
Nudũ picta ſinũ, aut Thaumantide pulchrior ipſa;
Me ſed ſculpta Paros, formata aut æra fauillis
Iſthmiacis faciant tranſmittere Neſtoris annos.
Atque diuturnis intactam viuere ſeclis.
Hinc bonus hic Vates communi pectine noſtras
Dum pangit laudes, miſcetque volumine in vno,
Dextras, atque animas ceu fœdere nectit amico;
Cognatę nimirum artes, adamante reuinctas
Aeterno, ſtabilis par eſt concordia iungat:
Vt procul vnanimes acri à certamine, Spartam
Ornet quæque ſuam curis illuſtribus, atque
In faciles hinc incumbat Pictura tabellas,
Peruigil hinc duras animet Statuaria rupes.

CHRISTI SERVATORIS Statua.

In Templo ſupra Mineruam.

Dicunt eſſe Chriſtum ad Columnam.

Bonarotæ opus.

EPIGRAMMA I.

EN Dominum nudo ſpectas in marmore nudum,
Auro qui veſtit ſydera, flore ſolum.
Nec ſiſtit rabies hominum: nam pectora nuda
Obijcit infandis dira colũna flagris.
Statque animo erecto Numen, ſtat corpore firmo,
Durior & ſaxo cernitur eſſe ſuo.
Haud ignota manus, tantum quæ contulit illi
Roboris, & magnum nobilitauit opus.
Ipſe ſibi ſtatuit decus Auctor: nempè trophæum
Ipſa columna illi nobile ſemper erit.

EADEM

EADEM STATVA.

EPIGR. II.

INſons hìc Dominus, corpus amabile
Exutus tunicà, praua nocentium
Vt prædurè hominum crimina plecteret,
Heu, quæ vulnera pertulit!
Tam crudele nefas æthere Cælites
Videre attoniti; dum vomit improbus
Mirmillo rabiem; flagraque depluunt
Inſtar verbera grandinis.
Mirum, Cælituum pectus vt horruit!
Fuſis penè madent ſydera lachrymis;
Mergitque Empyreum reflua naufragum
Tanti copia ſanguinis.
Aſt hoc in niueo marmore vulnera
Cur non vlla vides? ſciſſaque corpora
Cur non irriguo ſanguine defluunt,
Fœdat nec ſpeciem cruor?
Nimirum rabies parcere Numini
Quæ viuo renuit; parcere marmori
Inſculpto voluit; tanto operi putans
Inferri maculam, nefas.

STATVA PIETATIS.

Bonarotæ in Vaticano.

EPIGR. III.

EXanimem dices, quæ viuit ſqualida Mater:
In Cruce quæ cœſa eſt victima, viuit adhuc.
Egregij Artificis ſunt hæc miracula; vitam
Huic dat; ſi velit, huic eripit arte pari.
Quiſquis es, immiti pietatem à marmore diſce;
Exprimit hinc Matrem marmor,& hinc Sobolē.

Nempè

Nempè in Matre dolet, pia ſuffert vulnera Nati:
Pro Nato vt diſcas cum Genitrice pati.

STATVA AEREA D. VIRGINI á Paulo Pont. V. dicata.

In Columna ad S. Mariam Maiorem.

EPIGR. IV.

FVſa Corinthiacis Ieſſeia Virgo caminis,
Auro picta etiam diuite tota micas.
Par aſtris graderis, ſublimi innixa columna:
Sis quamuis titulis altior ipſa tuis.
Dum premis & Lunam pede fauſto; cornua ſceptro
Inuitam cogis ſubdere, Diua, tuo.
Qui tibi ter magnus ſacrarat pectora Paulus,
Hoc tibi ſpiranti ex ære ſacrauit opus.
Ad Romæ excubias poſuit: circumſpice latè:
Deſcende & facilis, cum pia vota vocant.
Munificæ teſtis dextræ, æternumque trophæum
Hæc erit interea certa columna tuæ.

D. ANNAE SIMVLACRVM.

Andreæ Sanſouini opus in D. Auguſtini Templo.

EPIGR. V.

MAter Chriſtiparæ ſublimis, Anna,
Quam conſanguineus Deus coronat
Sertis fiammiuomis, beatque Nata;
Viua dum ſuperis perennat oris,
Terris viuere gaudet & ſuperſtes.
Vitali ſiquidem hìc frui videtur
Aura; hoc marmore palpitat, mouetur.
Cernis? eſt viridis ſenectus illi:
Eſt ori hilaritas; Parens tenellæ

Arri-

Arridet Soboli; docetque ſanctæ
Primos indolis impetus Puellam.
Non eſt, cur precibus tuis fatiges
Annam, quæ rutilis moratur aſtris:
Supplex, quiſquis es, hanc roga: diſertè,
Vt vides, loquitur, tacente ſaxo;
Cur non audiet inſuper loquentes?

EADEM STATVA.

EPIGR. VI.

MArmore in hoc viuo ſic ſpirat mollius Anna;
Marmor vt hoc Annam congeminaſſe putes?
Ergo ſunt Annæ geminæ: nempè altera vixit
Iam terris; terris altera viuit adhuc.
Numinis hinc magnæ Matris,& quæ mater,& altrix
Eſt mundi, Matres dixeris eſſe duas.
Quàm bene: quæ mundum viſa eſt nutrire,Deumq;
Debuit haud vno hæc pectore Mater ali.

STATVA D. PETRI AENEA in Vaticano.

Ex ære Iouis Capitolini.

EPIGR. VII.

OLim, quà Romæ ſurgunt Capitolia celſa,
Aenea fulminei ſtant ſimulacra Iouis.
Erepto poſt ære Ioui,ſimulacra ſacrauit
Clauigero Pietas ſanctiùs inde Petro,
Venerat is Latios ad Colles, auſpice Cælo;
Vt Capitolinà pelleret Arce Iouem.
Pugnatur, vincit; Regem ſternitque Deorum.
Nec mora: captiuo ex ære trophæa dicat.

STATVA D. PETRI AEREA in Columna Traiana.

EPIGR. VIII.

MAnibus erepta Auguſtis, cinerique prophano,
Nunc Piſcatori ſacra Columna Petro eſt.
Vertice ſtat ſummo, munitus & ære, triſulca
Temnit tela Iouis; nec fera lædit hyems.
Qui dat iura aſtris, terris cui ſumma poteſtas;
Quàm bene tam celſo contigit eſſe gradu.
Clauiger is Cœlo propior nam debuit eſſe,
Vt facili poſſet claue aperire fores.
Arbiter at mundi ſpeculà conſiſtat in altà;
Cuncta vt proſpectet liberiore loco.

STATVA D. PAVLI AENEA in Columna Antoniana.

EPIGR. IX.

PAule, tot ærumnis olim, probriſque petitus,
Aſpera perpeſſus vincula, flagra, famem:
Roma vices mutat: celſa te nanque columna
Euehit ad Cælum, vertice & aſtra feris.
Nunc arcana iterum verba audis, fortiùs hærens
Et Cælo, renuis, Paule, redire tuis.
At quoniam Cæli præco, & vox publica mundi es;
Dicere in Orcheſtrà ſplendidiore nequis.

MOLES AENEA ROMANAE D. Petri Sedi *Ab Alexandro Pontifice VII. excitata Bernini opera.*

EPIGR. X.

FVſa hæc ære graui, multoque ſuperbior auro;
Egregijs moles molibus vna præit.

Stare

Stare quatergeminus grandi ſub pondere gaudet;
Viuaque robuſtus ſuſtinet æra Pater.
Argumenta artis mille hic, emblemata mille:
Talis flammiuomi Regia Solis erat.
Chiſius auratà Sedem hac in Sede locauit,
Quam tenuit terris Clauiger æthereus.
Petre, licet Cælo ſtellanti in Sede moreris;
Hæc Sedes Sedem haud inuidet Empyrei.

LATINI, GRAECIQ; PATRES in D.Petri Cathedra.

Bernini opus.

EPIGR. XI.

CErnitis hic quatuor præſtanti corpore Patres;
Mixtaque cum Latia Graia tiara micat.
Nomen dat geminis aurum: hic Athanaſius, ille
Ambroſius, cui vos mellificaſtis, apes.
Quid verò officij hic præſtant? cur fulgida ab ære
Fuſa Corinthiacis ſigna fuere focis?
Stant nempè ad Petri Sedem, vigileſque tuentur;
Et iuuat iniectà detinuiſſe manu.
Et quia ter magni Cathedra eſt ceu publica mundi,
Robore quis poterat ſuſtinuiſſe pari?
Hinc fragiles operoſà Patres mutantur in æra,
Suſtineant tantum pondus vt ære graui.

EORVNDEM LATINORVM, Græcorumque Patrum ſtatuæ.

EPIGR. XII.

VT quæ iura dedit verenda mundo
Sedes Clauigeri ſuprema Petri,
Hac Aede Iſthmiaco micaret ære,
Squaleretque Midæ nitens metallo;

Mente Chiſius eruditiore
Noctu verſat opus, diùque; & ipſas
Artes conſulit; excitatque doctas
Curas Artificum elegantiorum.
Quid poſſit ſtudium vigil, quid acre
Poſſit ingenium, fluenſque ſudor
Fronte ab irriguà, atque acuta lima,
Cernit attonitus Latinus hoſpes;
Moli & magnificæ ſtupore fixus,
Alteram ſtatuam locat ſeipſum.
Gaudet mirificè quaternus Heros,
Quod nouas geminet ſtupor figuras.
Nempè ſic minuunt Patres laborem,
Feſſa & pectora nonnihil quieſcunt:
Nanque addunt oneri nouum ſodalem.

D. VERONICA CVM CHRISTI Vultu.

Franciſci Mocchi opus ſub Vaticani Templi tholo.

EPIGR. XIII.

CErnite quos olim roſeos velamine vultus
Expreſſi pictrix relligioſa meo.
Quos pinxi, Pario ſculpſit manus altera ſaxo:
Hoc mirum; ſculptos quod leuis aura mouet.
Ars agitat velum: Zephiro ſpirante, cruenti
Fluctuat in ſtabili marmore imago Dei.
Tu vultus ne pinge, hoſpes, ſed dura ferendo,
Non vno impacto vulnere, ſculpe ſinu.

D. HE-

D. HELENAE STATVA cum Cruce.

Andreæ Bolgi ſub eodem Vaticani tholo.

EPIGR. XIV.

SAnctior hæc Helena eſt, potior cui pectore virtus,
Quàm forma, & roſeis gratia fuſa genis.
Ore animat marmor, virtute & conſecrat: huius
In lucem auſpicijs Crux rediuiua redit.
Nunc illam auguſtis viden, vt complectitur vlnis?
Delicias nunquam deſeret illa ſuas.
Scilicet, hoc dulce, vt ſemper Crux hæreat illi;
Hæreat optatæ ſemper & illa Cruci.

D. ANDREAE APOST. STATVA.

Franciſci Quercini Belgæ ſub eodem tholo.

EPIGR. XV.

EXtant hæc, hoſpes, ſpiranti in marmore, nempè
Ingenium artificis nobile, amorque Crucis.
Ardet amor gelido hoc ſaxo: flagrare videntur
Andreæ vultus, pectora amore Crucis.
O fortunatum, arcanis cui tanta medullis
Flamma arſit, ſculptum marmor vt inde flagret.
Quàm verò argutus, tacitum qui pectoris ignem
Impreſſit Parijs rupibus ingenio?

LONGINI MILITIS STATVA.

Laurentij Bernini ſub eodem tholo.

EPIGR. XVI.

NOn hic dedidicit miles vel ſaxeus haſtam
Vulnificam dirà fronte vibrare ſuam.

Vibrat: ſed crudo, proh! quàm mutatus ab illo
Longino: nempè eſt idem, aliuſque ſimul.
Improbitas olim mouit truculenta lacertos,
Traiecitque Dei pectora nuda chalybs:
Nunc pietas vultu eſt: ferro ceu vellet eodem
Pro Chriſto pectus dilacerare ſuum.
Saxa animas, Bernine, manu: hoc ſed pulchrius, eſſe
Nempè pium, exuto marmore, marmor idem.

Tabula marmorea, in qua D. LEO, & Attila.

Equitis Alexandri Algardi in Vaticano.

EPIGR. XVII.

QVi modò Rex Scythicus cędes ſpirabat, & ignē,
Stare hìc attonitâ fronte, animoque vides.
Quis flammā exhauſit? rabidū manſueſcere monſtrū
Quis docuit? vultu cur cecidere minæ?
An rabiem frangit Spartanum marmor? at illi
Is furor, vt fureret, Rege furente, lapis.
Ore Leo fregit facundo: nempè diſerta
Lingua vel inuito marmore feruet adhuc.
Audit nunc etiam Rex barbarus ore tonantem,
Et pauet, & vultu ſupplice iuſſa facit.

Angeli in Ponte Aelio cum Dominicæ Paſſionis inſtrumentis à CLEMENTE Pontifice IX. poſiti.

ANGELVS CVM COLVMNA

Antonij Lombardi.

EPIGR. XVIII.

CErne laborantē Aligerum ſub mole Columnæ
Nimirum hanc oculis obijcit ille tuis.

Hac,

Hac, ait, æternus per verbera mille columnà
Se fortem Dominus prodidit eſſe magis.
Si non marmor erat, crede, ad tot vulnera Chriſti,
Dum ſtupet, hinc marmor facta columna foret;

ANGELVS CVM FLAGRIS.

Lazari Morelli.

EPIGR. XIX.

FEralis lictor mortalis Numinis artus
Non timet ambroſios diſſecuiſſe flagris.
Hæc mihi delegi: hæc volui pia flagra peritum
Artificem noſtro depoſuiſſe ſinu.
Dura fuere olim: ſunt nunc ſed dulcia; habetque
Flagra in delicijs. quiſquis amore flagrat.

ANGELVS CVM CORONA ſpinea.

Naldini.

EPIGR. XX.

INgenia hìc certant, ſecumq; ars æmula certat;
Aligeros inter fictaque pugna calet.
Quis victor, quis victus erit? cui palma triumphi?
Cui prima ingenij gloria iure datur?
At mihi, non alijs, victricia ſerta dedere:
Ergo ſumma mihi gloria, fama prior.

ANGELVS CVM CHRISTI VVLTV.

Fancelli.

EPIGR. XXI.

ORa vides Domini niueo fluitantia velo:
Eſt opus, eſt auctor ſculptile Numen idem.

Qui præfert, muto quamuis è marmore fictus ;
Aligèr hæc tacito è gutture verba refert.
Cernite: quas lachrymas Deus excitat ore cruento;
Protinus has velo tergit & ipſe Deus.

VESTIS INCONSVTILIS cum talis.

Pauli Naldini.

EPIGR. XXII.

ALea militibus iacta eſt: non ſciſſilis vni
Duntaxat Domini contigit iſta chlamys.
Sors iterum hanc chlamydem Aligero mihi detulit (vni,
Et iuuat inceſtis eripuiſſe viris.
Ludunt nunc etiam hic tali; ne ſcilicet vnquam
Scindatur Domini haud ſutilis iſta toga.

ANGELVS CVM CLAVO.

Equitis Lucentij.

EPIGR. XXIII.

NOn iterum vt figam præduro in ſtipite Numẽ,
Hunc mea fert clauum relligioſa manus.
O, vtinam poſſem tua pectora figere: ſunt hæc,
Quæ Diuus tractat ſpicula amoris amor.
Ne tela hæc vibrem, vetat hoc immobile marmor:
Nam videar quamuis viuere, motus abeſt.

ANGELVS CVM SPONGIA.

Georgetti.

EPIGR. XXIV.

PEruigil artificum pulchro in certamine cura
Me finxit: nulli palma ſecunda mihi eſt.
Credite: ab Empyreo hanc expreſſit dextera formã:
Hæc mihi frons Cælo eſt, vernat hic ore decor.

At

At quam ſors diſpar: Cælo nam nectare paſcor;
Contigit imbuta hìc ſpongia felle nigro.

ANGELVS CVM CRVCE.

Herculis Ferrati.

EPIGR. XXV.

EST leue, ſit ſolido quamuis è marmore, pondus;
Nec labor eſt, Domini ſuſtinuiſſe Crucem.
Cum Cruce perſtabo hic pernox, & perdius, vt tu
Diſcas infracto pectore ferre Crucem.
Nimirum Crux, quæ cruciat, iam deſijt eſſe:
Quam Dominus moriens pertulit, illa beat.

ANGELVS CVM LANCEA

Dominici Guidi.

EPIGR. XXVI.

NVminis æterni ſcidit penetrabile pectus
Lancea, quod primo vulnere ſcidit amor:
Hanc ego vt obijciam ſemper mortalibus ægris,
Hìc indefeſſus nocte, dieque moror.
Par Lariſsęæ hæc eſt lancea: nanque viciſſim
Et ferit, & pulchrè pectora noſtra beat.

ANGELVS CVM TITVLO Crucis.

Laurentij Bernini.

EPIGR. XXVII.

STipite quis fixus crudeli, & ſanguine fuſo
Perluerit terras, hæ docuere notæ.
Rex fuit, auguſtis & maior Regibus ipſis:
Purpura cui ſanguis, ſerta fuere vepres.
Quiſquis es, auguſtis maior vis Regibus eſſe?
Purpura ſit ſanguis, ſint tibi ſerta vepres.

D. AGNETIS SIMVLACRVM:

Herculis Ferrati in eiuſdem Virginis Templo in Foro Agonali.

EPIGR. XXVIII.

AEuo florentem tenero cur marmore duro
 Expreſſam Artificis te voluere manus?
Sic decuit, Virgo, teneris quæ fortior annis
 Percupis intrepido pectore dura pati.
Barbarus haud lictor, rabies non dira Tyranni,
 Mollijt haud pectus, flamma, legna, chalybs.
Hinc placuit marmor, longum vt teſtetur in æuum,
 Quàm fuerit tenerà in Virgine dura fides.

IDEM SIMVLACRVM.

EPIGR. XXIX.

POſt mille flagra, mille
Tormenta barbarorum;
Poſt delicata diro
Transfoſſa membra ferro;
Necemque poſt cruentam,
Adhuc ſuperſtes Agnes
Auctoris arte mira
Viuitque, palpitatque:
Spectanſque anhela Cælum;
Frui videtur aſtris.
Quàm marmor hocce felix
Debet ſuo Myroni!
Debet ſatis, ſuperque,
Afflare qui perennem
Valuit manu peritâ
Vitamque, ſpiritumque:
At, Diua Virgo, debet

Tibi

Tibi magis, magiſque,
Quæ fronte, & ore pulchro
Marmor ſacras, beaſque.

TABVLA DIVI EVSTACHII marmorea.

Herculis Ferrati in Templo D. Agnetis in Foro agonali.

EPIGR: XXX.

NOn metuit Libyci Euſtachius ſæua ora leonis
Intrepidum & forti pectore ſtare vides.
Quin timet ipſe leo: magnum trepiduſque veretur
Heroa, immani corpore ſtratus humi.
Exprimit hæc bellè marmor, quod dextera finxit
Impigra: mutatque ars ingenioſa vices.
Aſpicis? is terret, potuit qui iure timere:
Qui terrere homines debuit, ille timet.

AD EANDEM TABVLAM.

EPIGR. *XXXI.*

RIdet Marmaricas feras arenâ
Heros in mediâ: nec horret vnguem;
Hirſutamque feri iubam leonis,
Denteſque Armeniæ tigris minaces,
Ora & fulminei cruenta pardi.
Geſtat magnanimum, leone maius;
Pectus, omnibus Africæque monſtris;
Quicquid Hercynijs furitque ſyluis,
Nec de marmore Punico Latinus
Heros concipit indolem irretortam.
Magnæ plenum animæ, pièque fortem
Vultum conſpice, martiamque frontem;
Dices, Euſtachium addidiſſe duro

Saxo duritiem ſeueriorem.
Et marmor ſolidum ebibiſſe robur
Athletæ egregij, Duciſque fortis.

Tabula marmorea in qua D. ALEXIVS. *Io: Franciſci Rubei in eodem Templo.*

EPIGR. XXXII.

TRansfuga magnanimus, Romæ qui ciuis, & hoſpes,
Et fugit, & repetit clā ſua tecta redux.
Exanimis iacet hac tabulà: tamen ore ſuperſtes
Pallidulo pietas viuida ſpirat adhuc.
Vultu ſtat Pater attonito: fuga nobilis olim
Quam rapuit Sobolem, conſpicit eſſe domi.
Gaudeat, an doleat, neſcis: pia lachryma pendet:
Suadet flere dolor, gaudia flere vetant.
Diſſidium ars alit, & dirimit: nam marmore eodem
Aſpicis, & fletum, & gaudia ſtare ſimul.

EADEM DIVI ALEXII Tabula.

EPIGR. XXXIII.

BEatus iſte, qui procul penatibus
Diù paternis abſuit.
Latet paternis quòd diù penatibus,
Beatiorem dixeris.
Alget, ſititque, & eſurit dirè domi,
Menſiſque torquetur ſuis.
Luxumque auitum contuetur diuitem,
Opum ſuarum Tantalus.
Tandem ſolutus pauper omni fœnore,
Ad aſtra diues aduolat.
Mirata quondam Roma præduram indolem,
Infracta laudat pectora.

Mira-

Mirata nunc, perita quæ finxit manus,
Illuſtre marmor; inclytam
Vtramque miſcet laudem: & hinc Alexius
Laudatur, hinc & Artifex.
Et qui diſertis vocibus deprædicant
Ciuem Quirites Aduenam;
Ad ſumma tollunt aſtra non vna die
Hoc expolitum ſcitè opus,

TABVLA MARMOREA DIVAE EMERENTIANAE.

Herculis Ferrati in eodem Templo.

EPIGR. XXXIV.

PLena Deo Virgo, concepto & cælitus igne;
Non tulit immerito Numina thure coli.
Inclamatque, monetque ardens; & pectore ab imo
Aſpera verba, velut tela triſulca iacit.
Igniuomas odit voces plebs improba: ſaxis
Nec mora, contortis, obruit immeritam.
Inuenitque ſimul Virgo cum morte ſepulcrum;
Lethum quique ſilex intulit, vrna fuit.
Hac verò in tabulà ſpirat rediuiua: lapiſque
Quam vitam eripuit, reddidit ipſe lapis.

AD IACENTEM D. CAECILIAE Statuam.

In eiuſdem Templo.

EPIGR. XXXV.

NOn quia prona iacet, cecidit fortiſſima Virgo;
Semper quæ erectà mente, animoque fuit.
Quòd ſi cæſa tamen cecidit pia victima ferro:
Si cecidit magna, hoc marmore magna iacet.

Cæci-

Cæciliam verò finxit qui marmore pronam ;
Sic voluit nomen tollere ad aſtra ſuum.

EADEM D. CAECILIAE Statua.

EPIGR. XXXVI.

INtacta igniuomis relicta flammis,
Lacte candidius ter icta collum,
Et decora ſuo cruore Virgo,
Tandem ſydera laureata ſcandit:
Flammas per rutilas, ferumque ferrum
Nimirum aſtrifero potita Cęlo.
At tu Cæciliam vides iacentem,
Digna quæ Latijs foret triumphis.
An iacens facilem capit quietem?
An Sponſi thalamo iacet pudico?
An transfixit amor, iacetque lecto?
Noſtra an crimina flet iacens, dolenſque?
Dicam veriùs: Artifex iacentem
Finxit Cæciliam, diùque ſupplex,
Noctuque vt iaceat, preces & ore
Prono funderet efficaciores.

TABVLA MARMOREA in qua Regum adoratio.

In Sacello Sermonetæ Ducum apud S. Pudentianam.

EPIGR. XXXVII.

MArmore in hoc rigido certant procũbere Re-
Vt ſua dent Regi dona Sabæa Deo. (ges,
Poplite curuantur flexo, ſtant corpore prono,
Et non inuitus flectitur ipſe lapis.

Scili-

Scilicet, indomitũ ars docuit manſueſcere marmor;
Cogit & in formas molliùs ire nouas.
Quod ſi munifica Infanti data munera cernis;
Hic etiam ingenium nobile mira facit.
Nam cũ rara hominũ ſint dona; hic dextera sẽper.
Nunquam defeſſo marmore, promit opes.

EADEM TABVLA.

EPIGR. *XXXVIII.*

HIc Numen infans, Numinis Matrẽ hìc vides,
Arabumque Reges, chlamyde claros nobili,
Puero Tonanti dona qui promunt manu
Diuite, Sabæa nempè thura, cortice
Stillatam odoro myrrham, & aurum fulgidum.
Hæc opere præclaro Latinus Phidias
Effinxit egregiè: Quirites & ſtupent
Vultus Parentis almæ, & ora lactei
Diuina Nati, & ſtrata Regum corpora,
Fuſaſque Nabathæas opes, & aurum ardens.
Quid is meretur artifex, breui dicam:
Vt nempè nactus ſplendidas Regum manus,
Referat & ipſe largiora munera,
Aurumque, tanto par labori præmium.

D. MARTINAE STATVA dormientis.

Bernini in eius Templo.

EPIGR. *XXXIX.*

MAſcula cui virtus, cui martia pectora quondã,
Et quæ certando plura trophæa tulit;
Martina, en riguà deterſa fronte quieſcit,
Occupat & facilis membra pudica ſopor.
Diuinare licet, quæ dulcia ſomnia voluat
Virgo, ſoporatàm quam tenet alta quies.

Marti

Marti aſſueta pio, & palmis Martina, triumphos
Laurigeros certè ſomniat illa ſuos.

HAEC EADEM STATVA.

EPIGR. XL.

SCulpto in marmore laureata Virgo,
Poſt certamina dura, poſt labores
Membra compoſuit ſopore dulci.
Hoſpes, tu caue, ne quid ore muſſes
Garrulo, & ſtrepitu excites cubantem.
Donec ipſa velit, quieſcat Agni
Sponſa nobilis, & decora Virgo.
Quòd ſi ſupplice murmurare voce,
Et molli placet auribus ſuſurro
Inſtillare tuas preces canoras:
Hinc illi ſopor, & quies amica
Et dulcis magis, & magis profunda.
Nempè vox auium ſuauiorum,
Et murmur placidum cadentis vndæ,
Et fila Aonij canora plectri
Mulcent, non adimunt, fouentque ſomnum.

D. FRANCISCAE ROMANAE Statua.

Bernini ad eius ſepulcrum in S. Mariæ Nouæ Templo.

EPIGR. LXI.

FRācifcę haud ſtatuā cernis; Frācifca ſed ipſa eſt,
Cæli iterum hoc haurit quæ rediuiua iubar.
Scilicet, hæc pietas, hæc tanta modeſtia fronti,
Iſque pudor vultu marmoris eſſe nequit.
Quòd ſi tantùm artis potuit cura impigra, virtus
Franciſcæ vt Pario in marmore tota micet:

Iure

Iure quidem̃ niuea aut Franciſcã in marm̃ora verſã;
Aut in Franciſcam̃ marm̃ora verſa putes.

EADEM STATVA.

EPIGR. XLII.

EST hoc ſepulcrum Manium piorum,
An expolitum ſplendidè theatrum?
Elucet hìc Caryſtos, hìc Syene
Inſculpta lucet: hìc ſuum ſuperſtes
Franciſca ducit inclytum triumphum.
Hic nem̃pè ficta ad viuum, & ipſa viuit,
Et vitam inhalat marmori perennem.
Vides anhelam, penſilemque Cælo:
Vides amore frigidam calere:
Vides ad aſtra raptum abire ſaxum.
At fixa Cęlo, Numinique, tota
Et merſa dulci nectare, haud diſerto
Conatur ore verba: Tu morare,
Sit donec illa reſtituta menti;
Tunc expeditè marmor hoc loquetur.

D. THERESIAE STATVA.

Bernini in Corneliorum Sacello apud Diſcalceatos.

EPIGR. XLIII.

DVm̃ tota feruet intimis medullis
Tereſa, creſcit & coruſcus ignis,
Amore flante Numinis; ſeueram
Ad alteram vocatur hinc palæſtram,
Intaminatum vulnerata pectus.
Nam viſus Aliger, Deo iubente,
Comiſque, blanduſque, & ſerenus ore;
Ferox ſed armis, & manu triſulcum̃

Vibran-

Vibrante telum, cuſpide exacutà
Haurire venas Virginis, ſinumque.
Vulnus, dolorem, languidumque pectus
Teſtatur ipſum marmor, arte fictum.
Quis credat? infractumque, frigidumque,
Durumque ſaxum, tela ceu beata
Perfert almæ Virginis: frequenter
Anhelat, æſtuatque, conciditque,
Doletque, languet, & mori videtur.

EADEM EIVSDEM TERESIAE Statua.

EPIGR. XLIV.

CErnitis? in viuo Tereſia marmore, telo
Fixa graui, ſimul & viuit, & emoritur.
Aligeri quæ dira manu eſt intorta ſagitta,
Sydereo inſperſit nectare diuus Amor.
Hinc placet inflictum vulnus, placet ignea cuſpis,
Ægraque ſi languet, languor & ipſe placet.
Phidiacà hæc, Bernine, manu bellè exprimis, atque
Efficis, vt marmor langueat exanime.
Quæque ſemel dulcī Virgo inclyta concidit ictu,
Concidit hìc iterum, vulnere fixa nouo.

D. SEBASTIANI ſimulacrum.

Bernini in eiuſdem Diui Templo.

EPIGR. XLV.

BErnine, rupes qui facis impigrà
Spirare dextrà, & marmora anhelitum
Reciprocare, ceu recenti
Vulneribus potiantur æuo;

Sebaſtianum cuſpide tortili
Conuulneratum fortia pectora,
Iubes renaſci, reſtitutum
Ingenio potiore vitæ:
En hìc ſuperſtes magnanimus Pugil:
Statque ore grandi, & fronte ſerenior,
Ceu tela rideat, volantes
Ambroſiam aut ſapiant ſagittæ.
Gaudetque Diuus marmore candido
Extare magni pectoris indolem
Auctoris arte, & quod reportet
Promeritas iterum coronas.

CHRISTVS D. A IOANNE Iordane intingitur.

Antonij Raggij in Sacello Card. Sacchetti in Florentinorum Templo.

EPIGR. XLVI.

Celſior hinc rerum Dominus ſtat vertice prono,
Perluat vt ſacrum fuſilis vnda caput:
Hinc & Ioannes vultu demiſſior ipſum
Numen deciduo flumine mergit aquis.
Non color hæc fingit; pictis non tela figuris;
Marmore at in gemino ſigna animata vides.
Quàm bene: nanq; ſolent manare è cautibus amnes,
Marmore & è viuo ductilis vnda fluit.

DEIPARA CVM PVERO IESV.

Eiuſdem Raggij opus in Sacello Card. Ginetti apud Cler. Reg.

EPIGR. XLVII.

FIngitur hìc magna è Pario cur marmore Mater,
Mollia cui facili corda fuere ſinu?

Mar-

Marmore & in rigido Numen cur fingitur Infans,
Cui vernis rident ora tenella roſis ?
Credite: tam tenera eſt Virgo, tam mollis & Infans;
Mollia vt effigie reddere ſaxa queant .
Quiſquis es, hinc alacer procumbe ad ſaxea ſigna :
Molle tuis votis ſculptile marmor erit .

AARONIS SACERDOTIS Statua.

In Sacello Pauli Pont. V. apud S. Mariam Maiorem .

EPIGR. XLVIII.

ISacidùm Myſta hìc ſummus, cui vertice ſacro
Aurea ſtat cidaris; fronte micatque Deus .
Itque humeris byſſus , rutilant in pectore gemmæ ,
Et fluit ad lentos tinnula palla pedes .
Nempè vbi magnæ Aram conſpexit ſurgere Matris
Exquiliæ : hæc me, inquit, nobilis ara vocat .
Sacrorum Princeps adſum : mea thura repoſcit
Virginea æterni Numinis iſta Parens .
Aduolat, at tantæ miratus molis honorem ,
Dum ſtupet, immotam vertitur in ſtatuam .

DAVID REX, ET VATVM Princeps.

In eodem Exquilino Sacello .

EPIGR. XLIX.

GEns tua centenos iactat Ieſſeia Patres,
Rex Vatum, & ſceptris addita ſceptra nouis.
Verum tot trabeas inter, tot nomina Regum
Te forma auguſtæ Virginis vna capit .
Quam procul inſpectas, mundique, Deique Parentē,
Illa tui generis gloria, amorque tuus.

Aſſi-

Aſſiduus celebras: citharæ fila aurea eburnæ
 Si pectis, nomen Virginis illa ſonat.
Marmore nunc fictus, ſtas; hanc immotus ad aram,
 Nempè Illam vt ſemper nocte, dieque canas.

D. DOMINICVS.

In Sixti V. Sacello apud S. Mariam Maiorem.

EPIGR. L.

HIc lecti pecoris cuſtos, Canis excubat Orbi
 Chriſtiadum; fures terret, & ore latrat.
Sunt Dominique Canes Socij; terrere latratu
 A Duce perfidiam condidicere ſuo.
Marmore nunc fictus Cereale hic Numen adorat:
 Peruigil & longas hæſit ad excubias.
Indolet ille tamen, quod muto in marmore grandi
 In monſtra hæreſeon ore latrare nequit.

D. FRANCISCVS.

In eodem Sacello.

EPIGR. LI.

PAupertas, an pauper erat Diuus? comes illi
 Hæc fida, hæc Virtus ſponſa, ſororque fuit;
Nunc quoque pauperiem pauper complectitur vlnis
 Ipſe ſuis, nudo in marmore & alget adhuc.
Hoc dolet: egregiè vultus, atque ora periti
 Artificis doctas expolijſſe manus.
Vilia cui cordi ſemper, nunc arte Pelaſga
 Phidiaco inſculpi marmore, turpe putat.

D. ANDREAS APOSTOLVS.

Herculis Ferrati in extimà eiuſdem Apoſtoli Templi facie.

EPIGR. LII.

TVrritum, Andrea, templũ tibi Roma ſacrauit,
  Par vt germanis Fratribus eſſet honor.
Vaticana quidem conſcendit ſydera moles;
  Te iuuat hac imà in Valle nitere minus.
Eſt tamen hic ſplẽdor: ſummũ tholus æthera pulſat,
  Suntque Caryſtea hìc marmora, ſculpta Nomas.
Nunc Tiburtino hic etiam te marmore ſiſtis,
  Ceu cuſtos templi peruigil ipſe tui.
Nec tua templa ſubis: ſed ſtare in limine gaudes:
  Excipias facili vt pectore, quiſquis adit.

D. SEBASTIANVS.

Dominici Guidi in eadem Templi facie.

EPIGR. LIII.

AVguſti quondam te deſtinat ira ſagittis;
  Ferre nec impauido pectore tela times.
Nunc iterum intrepidè perſtas hic pectore nudo,
  Forti ferre ſinu ceu noua tela velis.
Cæſaris at rabies non detonat amplius: iræ
  Fracti arcus, fracta eſt dira ſagitta trucis.
Hinc dextrà Artificis rediuiuus, pectore tuto,
  Securuſque tui ſpicula nulla times.

D. CAIETANVS THIENAEVS.

In eadem Templi facie.

EPIGR. LIV.

ESt mea germanis expreſſa coloribus intus
  Effigies, votis diues & ara calet,

Suppli-

Supplicibus prenſant me vocibus: auribus ipſe
Sto pronis, largâ & porrigo dona manu.
Nunc libet hæc etiam ſtare ad veſtibula templi,
Et iuuat ad patulas excubuiſſe fores.
Scilicet, vt moneàm, noſtrã hoc in principe templo
Eſſe aram, eſt cunctis quæ Panacæa malis.

B. ANDREAS AVELLINVS.

In eadem Templi facie.

EPIGR. LV.

PAr erat, Andreæ ſtare hic ſimulacra, perenne
Andreæ Andreas pendat vt obſequium.
Hanc Templi faciem pulchrè ornat ſculptileTibur,
Et placet in ſculpto Tybure Roma ſibi.
At Romam, & Tibur, templum & venerabile viuà
Effigie Andreas ornat vterque ſuà.

D. CATHARINAE SENENSIS Statua.

Melchioris Melitenſis opus in eius Templo.

EPIGR. LVI.

DEtineat quamuis marmor; tamen aſtra ſubire
Cernitur, ad Superos & Catharina rapi.
Saxa quis Amphion mouet hæc? quis Thracius Orpheus
Blandæ vi citharæ te, Catharina, rapit?
Digna polo effigies; Vrbem at ne deſere; tanto
Et liceat terras munere, Diua, frui.
Par eſt, vt quando vultu magnum æthere Numen
Te beat, hic tua nos viua & imago beet.

CLEMENTIS PONT. VII.

Ioannis Bacci in eius ſepulcro ſupra Mineruam.

EPIGR. LVII.

PAr Orbi Clemens, ſacrorum oneriq;ferendo:
Incidit at ſæua in tempora magnus Atlas.
Hinc monſtra hæreſeon terrent; Cæloq;Gygantum
More Acherontæis molibus arma mouent.
Hinc gentes, terrasq;ferox Mars miſcet;& Orbem
Prælia ſpirantem triſtis Erynnis agit.
Clade quid immani furijs direpta cruentis
Roma? quid ardenti tecta peruſta face?
Stat fronte erectà Clemens: Romaque cadente,
Non cadit: eſt maior caſibus ipſe ſuis.
Pontifici hinc magno ſtatuunt cum nobile marmor;
Credite, iam Clemens indole marmor erat.

LEO PONTIFEX X.

Raphaelis Montislupi ad eius ſepulcrum ſupra Mineruam.

EPIGR. LVIII.

QVis terris abijſſe putet poſt fata Leonem,
Marmore quem viuo viuere cernis adhuc?
Qui frontem auguſtam, magni ſtatuamque Leonis
Aſpicit: hic, inquit, Magnus hic ille Leo eſt.
En vis illa animi: en maieſtas illa ſuperſtes:
Non dextrà; quatit at ſceptra ſupercilio.
Ipſe ſuos vultus animat, non peruigil Auctor:
Vt ſit opus magnum, ſufficit Effigies.

PAV-

PAVLI PONT. III. ſimulacrum: *Guiglielmi à Porta ad eius ſepulcrum in Vaticano.*

EPIGR: LIX.

NOminis æterni Paulum, vultuſque verendos
Effictos doctâ cernis in ære manu.
Stat gemina ad tumulum virtus: ſed fędere pulchro
Vtraque Romulei ſpirat in ore Patris.
Debuit Heroi ter magno parcere Parca,
Inuida nec Pylios diſſecuiſſe dies.
At tumulus ſupplet: viuâ hic in imagine viuit:
Puluere ceu Phœnix ſurgit & ille ſuo.

Eiuſdem Pontificis ſtatua in Capitolio.

EPIGR. LX.

STant Cælo ſignata auro tua nomina, Paule,
Nec timet occiduas inclyta fama vices.
Tu tibi & æternum ſimulacrum moribus aureis
Finxiſti; haud ſculptâ à rupe perennis eris,
Tarpeiam tamen hanc ſtatuam, ſpirantis & oris
Effigiem Pario è marmore Roma dicat.
Eripuiſſe ſuo tumulo, lucique dediſſe
Paulum iterum, & Latia in Sede locaſſe, putat;
Sorsque illi melior: ſenuit nam viribus olim:
Marmora nulla vnquam conſenuere die.

PRVDENTIAE STATVA. *Ad eiuſdem Pauli Pont. ſepulcrum.*

EPIGR. LXI.

AD Pauli ſolium, pedeſque prona
Stat Prudentia, grandiore natu
Virgo, cui ſenium comam verendam;

Et frontem decorat, graueſque vultus.
Cryſtallum inſuper intuetur : inde
Exacti documenta ſumit æui :
Inde & moribus eruditur; actis
Inſpectis atauumque, ciuiumque.
Iſthæc qui ſimulacra cernit; ille
Agnoſcit, mora nulla, vultuoſæ
Nomen Virginis, indolemque cautam.
Nempè marmoris artifex vetuſtus
Non vmbratile opus dedit videndum,
Fictæ aut Virginis ora; ſed decoram
Ipſam viuere Virginem coegit.

NICOLAI PONT. IV. STATVA.

In eius ſepulcro ad D. Mariam Maiorem.

EPIGR. LXII

FRanciſci cinerem primùm qui moribus ornat,
Tum vittà, & ſceptro diuite, Roma, tuo;
Nicoleos, fato maior, maiorque ſepulcro
Cernitur inſculpto hoc marmore iura dare.
Sic nempè ars animat, teneat ceu Romula fræna,
Atque ſupercilio temperet aſtra ſuo.
Tam propè ni monitor cinis eſſet; credite, quiſque
Nicoleos, poſſet dicere, viuit adhuc.

PAVLI PONT. IV. STATVA.

Pyrrhi Ligorij ad eius ſepulcrum in Templo ſupra Mineruam.

EPIGR. LXIII.

CHriſtiadum Alcidem, ſeu maieſtate Leonem
Agnoſcis rigidà Paulum, cui perdere monſtra
Cura prior fuit, & nutu diſcerpere, quicquid

Roma-

Romanam fœdare fidem, & pia pectora poſſet.
Marmoreum cernis, cui virtus aurea: quamquam
Marmor erat prius, Oebalio quàm marmore tanti
Praxitelæa manus finxiſſet Principis ora.
Fallimur: haud marmor, ſed fuſū adamāte ter am-
Illi pectus erat, pretioſa & iaſpide mixtū. (plū
Intrepidus rectique tenax: nil ſcilicet vnquam
Horruit: inuictus ſcelerum petit agmina; nullo
Aut chalybe, aut fuluo prorsùs penetrabilis auro.
Hoc robur frons ipſa docet; vultuſque verendus
Indicat innocuas arcani pectoris iras.
Fracta olim infracto ſtatua eſt: ſed viſa repente
Altera, quam faciet virtus generoſa perennem:
Et nouus è ſolido reuireſcit marmore Phœnix.

EADEM STATVA.

EPIGR. LXIV.

TEr magno Pius hæc Paulo ſimulacra ſacrauit;
 Illius & magnis Manibus impoſuit.
Redditus hinc Romæ Paulus: quam faſcibus olim
 Rexit, nunc famâ, fictus & ore regit.
Marmoris hoc munus meruiſſe a Principe tanto,
 Exiguum Paulo non venit inde decus.
Pontifici tanto poſuiſſe hoc nobile marmor,
 Gloria magnanimo non leuis inde Pio eſt.

EIVSDEM PAVLI IV. STATVA, quæ fuerat in Capitolio, *A nefarijs Tenebrionibus malè accepta.*

EPIGR. LXV.

HAereſeon vindex Paulus, domitorque ſuperbę
 Perfidiæ, zelo fulgurat, ore tonat.
Igne agit, & ferro flagrantis pectoris ira,
 Frangat vt Herculeà monſtra cruenta manu.

Extincto at grandi Myllà, ceu bellua clatris
Effera diffractis, plebs violenta furit.
Irruit immanè in ſtatuam, frontemque decoram
Non timet indignis contemerare modis.
Et mutilat fœdè marmor, raptatque per Vrbem;
Sed decus à tanto crimine congeminat.
Nam mutilet ſaxum; rabie tu maior, & ira,
Integer in mutilo marmore ſemper eris.

SIXTI PONT. V. STATVA.

In eius Sacello Sanctæ Mariæ Maioris.

EPIGR. LXVI.

HAnc ſacræ ſacram Cereri qui condidit aulam,
Hic eſt, quem finxit Praxitelæa manus.
Olim Montaltus, poſt nomine celſior ipſo,
Viſus ſepteno in vertice iura dare.
Sixtus viuendo ſextum non attigit annum:
In quinto ſiſtit: quàm bene, Quintus erat.
Molibus at cerne ornatam, ſeu moribus Vrbem;
Dices, Neſtoreos tranſilijſſe dies.
Quin æternus erit, non hoc à marmore; at illà,
Viuere quæ æternùm nomina, fama iubet.

Eiuſdem Pontificis ſtatua in Capitolio.

EPIGR. LXVII.

TErritat hic Princeps: tamẽ, hoſpes, mitte vereri:
Nanque petit fontes triſte ſupercilium.
Cætera munificus: Romam quot molibus ornat?
Fontes, tecta, tholos, templa ſuperba vides.
Aerea quid ſculptis ſimulacra impoſta columnis?
Quæque petunt Phariæ ſydera Pyramides?
Molibus his addit Sixtum gens grata Quiritum;
Viuat vt æterno in marmore fama diù.
Sublimique ſimul Capitolj è vertice moles
Subiectas ſemper cerneret ipſe ſuas.

BEATI PII QVINTI STATVA.
In Sixti Quinti Sacello.

EPIGR. LXVIII.

RE pius, & magno Pius eſt à nomine, ad vnguē
Quem factum inſigni hic viuere ab arte vides.
Hunc voluit Sixtus ſtatui è regione: nouumque
Alter ab alterius comparat ore decus.
Quàm benè ad æterni cunabula Numinis ambos,
Ceu viuos, pietas æmula ſtare iubet.
Nempè docent longo non poſſe ſeneſcere abæuo;
Numinis ad cunas queîs mora ſemper erit.

Eiuſdem Pont. ſtatua in Capitolio.

EPIGR. LXIX.

DA pia thura Pio, cui Vaticana vaporant
Iam templa, excelſum nomen & aſtra notāt.
Illi Roma olim culta hæc ſimulacra dicauit,
Quæ nunc fronte colit prona, humilique genu.
Hic ille Iſmaridûm terror, Scythicęque procella,
Et ſcopulus Lunæ velificantis erat.
Fulmine Chriſtiadum it diſciſſa, & naufraga Claſſis
Thracia; nempè Pij ſic voluere preces.
Siſtitur hinc meritò Tarpeio hoc vertice, vt Illi
Aeterna, edomito Thrace, trophęa forent.

GREGORIVS PONT. XIII.
In eodem Capitolio.

EPIGR. LXX.

MAgne Pater, ſtatuā hāc ſtatuit tibi Roma me-(renti,
Conſcia munifici pectoris, atque memor.
Tempora metitur ſi fluxa volubilis æui,
Non dicenda tibi vita fuiſſe breuis.
Si monumenta operum numerat, ſiue inclyta facta;
Te Pylios annos tranſilijſſe putat,

At ſi vota Orbis ſpectat, Gentiſque Latinæ,
Sat fuit, heu, Princeps optime, vita breuis.
Hinc Capitolinà ſimulacra hæc ponit in Arce:
Sic vitæ inſtaurat fila reſecta tuæ.

LEONIS XI. TVMVLVS, & ſimulacrum.

Algardi opus in Vaticano.

EPIGR. LXXI.

PAr eſt ter magno Statua hęc inſculpta Leoni;
Grandi par ſtatuæ magnus & ipſe Leo eſt.
Quā breuis is Princeps! quā ſceptra precaria! ſeptē
Supra vicenos vix ſedet Ille dies.
Exiguum miſerata æuum, dolet inclyta Roma:
At poſtquam viua hæc marmora vidit, ait.
Plaudimus Artifici: æternos nam reddidit arte
Ille ſua, rapuit quos fera Parca, dies.

PAVLI PONT. V. STATVA.

In Sacello Exquilino.

EPIGR. LXXII.

VIrgineis ſacrum niuibus ſpectabile templum,
Inclyte Paule, nouà pulchrius æde facis.
Nil hac mole prius, melior quam pinxit Apelles,
Praxiteles animat marmore, & ęre Myro.
Quod verò hic proſtat, ſpiratque auguſtius, ipſe es:
Quando hìc artifici in marmore viuis adhuc.
Namque timet dum Roma tuum irreparabile fatū,
Perdere delicias, teque abeunte, ſuas,
Romæ, æuoque tuo tu conſulis; eſtque ſuperſtes
In ſtatua Paulus, nec perijſſe putant.

CLE-

CLEMENTIS PONT. OCTAVI Statua.

In eodem Mariano Sacello.

EPIGR. LXXIII.

CLementi hoc magno ſimulacrū nobile Paulus
Ponit, & æterni pignus amoris erit.
Sic iterum Romam Clemens redit, auſpice Paulo,
Atque iterum vultus exerit ille ſuos.
Eſt eadem auguſto mitis clementia vultu,
Maieſtas eadem, nullus & ore rigor.
Creſcit honor Paulo Clementis nomine: rursùm
Clementi à Pauli nomine creſcit honor.

CLEMENTIS EIVSDEM STATVA in Capitolio.

EPIGR. LXXIV.

QVi Regem Eridanum fluuiorum ſubdit, auita
Et docuit Latio cedere ſceptra Tybri;
Hic ille eſt Clemens: agnoſcis fronte verendà
Mentem Orbis curis, imperioque parem.
Conſilio valuit: recti æquè cultor, & vltor:
Vis animi in cano vertice non ſenuit.
Sint hæc, magne Heros, ſimulacra inſignia, ad vnguē
Facta, & Phidiacà ſint animata manu;
His niſi ſculpta tui maieſtas accederet oris,
Non eſſent meritis laudibus æqua tuis.

VRBANI PONT. AENEA STATVA.

Bernini opus ad eius ſepulcrum in Vaticano.

EPIGR. LXXV.

ASſidet hic fruſtra mors dira, ſtyloque recenſet
Nomen inextincti nobile Pontificis.

Stet

Stet licet hoc tumulo Vrbanus:tamē ære ſuperſtes;
Quaſſat adhuc grandi ſceptra Latina manu.
Aera Corinthiaco ſic nempè effićta metallo,
Vt dicas, ſolio iam redijſſe ſuo.
Attamen Artifici ne credas; ſæpe fefellit
Incautos mendax ſplendidus ille oculos.
Crede ſed Vrbani virtuti: hac ille perennat:
Hæc Illum æterno marmore, & ære ſacrat.

CHARITAS AD EVSDEM Vrbani Pontificis ſepulcrum.

Eiuſdem Bernini opus.

EPIGR. LXXVI.

QVæ gemino ſe ſe puero partitur, & vni
Ridet, & alterius pećtore membra fouet;
Eſt Charitas, teneris, quæ nos complećtitur vlnis,
Illa altrix mundi ſplendida, & alma Parens?
Quàm diſpar marmor! nā dura huic viſcera; & illi
Virtus in facili pećtore mollis ineſt.
Sed quod ſaxa negant, dočtæ ſolertia dextræ,
Et deſudatus contulit ipſe labor.
Sic tenerum, ſic molle vides nam marmor ab arte;
Vt dicas, Charitas mollior eſſe nequit.

IVSTITIA AD EIVSDEM VRBANI tumulum.

Eiuſdem Bernini.

EPIGR. LXXVII.

IVſtitiam, rigido mundum quæ territat ore,
Et chalybe exerto Regna, hominesque regit;
Sic, Bernine, manu candenti in marmore fingis,
Illius vt placeat nobilis ipſe rigor.
Scilicet, inſculptus mollit rigor ipſe rigorem,
Acreſque ars vultus ingenioſa tegit.

Is

Is fuit Vrbani genius: nil iuſtius illo;
Et nihil illius mitius enſe fuit.

INNOCENTII PONT. DECIMI Statua.

In D. Agnetis Tēplo ab ipſomet conſtructo.

EPIGR. LXXVIII.

POſtquam Dardaniá incoluit Pamphylius Vrbē
Maximus, & tenuit tecta Latina diū:
Longiùs hęc ſibi victuro Conclauia ponit:
Viuere & æterno in marmore Roma vides.
Sacra quidem Agneti templa hęc: tamē incolit ipſe
Cultam Aedem, atq; ſuū hoc imbuit auctor opus.
Olim claudit apem electrum: nunc diuite tecto,
Pamphyli, melius clauderis ìpſe tuo.

EADEM STATVA.

EPIGR. LXXIX.

AGnoſcis, hoſpes, frontis amabile
Decus ſeueræ, vimque ſupercilij,
Terrore gratam, magni & ora
Romulei metuenda Patris.
Nil dextra ſolers finxerit aptiùs:
Vultu relucet pectoris indoles,
Et ſanctus ardor mentis, acre &
Pamphylij ingenium ter ampli.
Quod ſurgit auctum marmore Punico,
Auroque templum diuite ſplendidum,
Molitus ipſe eſt, inclytaque
Effigie cumulauit altè.
Eſt nempè cultu nobilis hæc Domus
Agnetis; Agnes ſed pretioſius
Nil eſſe templo, quam Quirini
Tergemini ſimulacra cernit,

CLE-

CLEMENTIS PONTIFICIS IX. Statua.

Dominici Guidi opus ad eius tumulum.

EPIGR. LXXX.

HIc ille auguſtus Princeps, ille inclytus Orbis
Deliciæ, Clemens, & breuis Vrbis amor.
Primæuos æquare Patres ſtudet æmulus: ingens
Inuidet at terris mors inopina iubar.
Vanuit, vt fulſit, Phlegræi fulminis inſtar;
Eheu, parca nimis liuida Parca fuit.
Hinc redit in viuo rediuiuus marmore: eandem
Hic ſiquidem frontem, regia & ora vides.
Nam deſiderio fraudatos, ſpeque Quirites,
Debuit aſpectu ſic ſatiare ſuo.

CONSTANTINI MAGNI Equeſtris Statua.

Bernini opus in Vaticano.

EPIGR. LXXXI.

LEnta redit Romam poſt ſecula Conſtantinus:
Exprimit & Magni pectora viua Paros.
Auguſtum Sonipes Seſſorem ſentit, & ignem
Naribus ardentem difflat, & ore niues.
Olim talis erat Cæſar, cum fertur in hoſtes;
Agmina & hoc terret barbara vectus equo.
Hæret nunc Romæ, longumque hęrebit in æuum:
Nec ſolidum Romà marmor abire ſinet.
Excubat hic vigil: & Petrò quas diuite dextrà
Contulit, ingentes ipſe tuetur opes.

EADEM

EADEM STATVA.

EPIGR. LXXXII.

QVæ cernis Magni ſpirantia Cæſaris ora,
Dices, Phidiacas expolijſſe manus.
Ardet magnanimō generoſa ferocia vultu;
Priſca & maieſtas fronte timetur adhuc.
Nutus & ipſe iubet: mundi ceu fræna miniſtret
Denuò, fulminei Martis, & arma regat.
Artifici huic debes, proh quantùm, maxime Cæſar,
Ille iterum ingenio Romula ſceptra dedit.

EADEM CONSTANTINI Statua.

EPIGR. LXXXIII.

VIuere Cæſareos Lunenſi in marmore vultus;
Et conſanguineo Marte calere putas.
Aſture fertur equo, ſaltu conſcendere & auras
Aethereas ſaxum ſculptile penè facit.
Pendet Roma, ſibi quid iam gratetur; ad Vrbem
Auguſtum reducem, nōbile an artis opus?
Credite: par decus, æternæ par gloria Romæ eſt,
Et tantus Cęſar, tantus & arte labor.

MARCI AVRELII Equeſtris ex ære ſtatua.

In area Capitolij.

EPIGR. LXXXIV.

STat ſublimis equo Cæſar; ſed Cæſaris ipſa
Maieſtate graui, haud mole laborat equus.
Hic nutu regitur: procul hinc ſpumantia fræna:
Auguſti ſatis eſt nempè ſupercilium.
Optaſſet fera bella ferox, & pectore anhelo
Rumpere mille acies, agmina mille cupit.

Tu

Tu cohibes generoſum animal, flammamq; coerces,
Nec ſinis in volucrem ſe rapuiſſe fugam.
Interea hic ſiſtis: poſt tot tua bella triumphus
Vt Capitolina duret in arce diù.

CAROLI QVINTI CAESARIS ſimulacrum.

Apud Veroſpios.

EPIGR. LXXXV.

CArole, terrarum terror, cui martia virtus
Nomine, non armis vincere bella dedit.
Prœlia cum numero, numero tibi parta trophæa:
Quæque ſuam palmam pugna cruenta parit.
Italus hinc audis, Germanus, Gallicus, Indus,
Cymberq; & Saxon, Belgaque, Thrax, Libycus.
Marmore in exiguo tam magni Cæſaris ora
Cernis, cui par vix arduus eſſet Athos.
At benè: nam ſculptum grandeſcit marmor ab ipſo,
Non ipſe à ſculpto marmore grandis erit.

HENRICI QVARTI GALLORVM Regis.

Aenea ſtatua in Laterano.

EPIGR. LXXXVI.

ISthmiaco Alcides hic Gallus debuit ære
Fingi, cui pectus fortius ære fuit.
Scipiadis meliùs, belli ceu tortile fulmen,
Mille ferox acies diſijcit enſe ſuo.
At poſtquam fato cecidit confoſſus iniquo,
Aereus hìc voluit ſurgere, qualis erat.
Sique olim inuictus ſtrauit ſæua agmina Martis;
Iram nunc frangit temporis ære graui.

LVDO-

LVDOVICI XIV. GALLORVM Regis equeſtris ſtatua.

Bernini opus apud eundem.

EPIGR. LXXXVII.

QVis neget hæc iterum labentia tempora naſci,
Atque volubilibus ſecla redire rotis?
Et currente æuo priſcos reuireſcere mores,
Artifices, artes, magnanimoſque Duces?
Cerne hunc Alipedem, Gallo ſeſſore ſuperbum,
Cuius plena animæ colla iubata tument.
An veteres, dices, iterum rediere Pelaſgę,
Quicquid & ingenij Græcia priſca tulit?
Nam quem cernis equum, ſpumantia & ora, putabis
Bucefalum, dorſo qui ſedet, eſt Macedo.
Impigra & egregiè expolijt quæ nobile marmor,
Aut eſt Phidiaca, aut Praxitelæa manus.

ALEXANDRI FARNESII STATVA.

Bonarotæ in Aedibus Farneſianis.

EPIGR. LXXXVIII.

ALter Alexander, Pellæo grandior hic eſt,
Qui domuit rigido Belgica colla iugo.
Cernite: nunc etiam certantem in ſydera diram
Perfidiam calcat, tornaque monſtra pede.
Dixeris Alcidem, qui per certaminà mille
Mille ſimul palmas, mille trophæa tulit.
Non iuba, non humeris horret ſpoliumque Leonis;
Non opus exuuijs: Martius ipſe Leo eſt.

MARCI ANTONII COLVMNAE
Statua.
In Capitolio.

EPIGR. LXXXIX.

FActus ad armorum laudem, Martiſq; palæſtrã,
Indole qui fueras, ore, Columna, doces.
Martia nam virtus in vultu fulgurat acri,
Et frons in viuo hoc marmore terret adhuc.
Vidit in Ambracio Scythicum te littore Sydus,
Et pauida ad Claſſem palluit ora tuam.
Horruit Iſmarides, te ærata è puppe tonante,
Viſus & effuſam corripuiſſe fugam.
Roma triumphali Capitolia ad ardua cultu,
Te duxit, merito & cinxit honore comas.
Quin Capitolino hoc ſtatuam dum vertice ponit,
Noluit hanc pompam conſenuiſſe tuam.

CHRISTINA SVETIAE
Regina marmore expreſſa.

In Aula Capitolij.

EPIGR. XC.

NOn hic tota micat Suecùm Regina, triumphũ
Spreta aula, & faſces cui peperere ſuum.
Auguſtum expreſſiſſe caput, vultuſque decoros,
Sat fuit: hic virtus maſcula tota micat.
Stat fronti grauitas; oculis vis ignea mentis;
Eſt labijs Pitho, eſt gratia fuſa genis.
Hinc breue ſit quãuis marmor; crede, inclyta Prin-(ceps,
Grandeſcit grandi ex indole, & ore tuo.

EADEM

EADEM EFFIGIES.

EPIGR. XCI.

CHriſtina ſceptra Auorum
Quæ temnis vna Regum,
Tarpeia in Arce ſiſtit
Te Roma, dedicatque
Inſigne marmor, arte
Quod finxit erudita
Myronis æmulator.
Ducumque, Cæſarumque
Hæc laureata quondam
Suſpexit Arx triumphos,
Recentibus trophæis
Tu priſca bellè inumbras.
Hinc Roma gratulatur,
Hoc collocaſſe Colle
Illuſtre, quod decora
Expreſſit ora, marmor.
Ficta eſt imago vultus;
Non fictus eſt triumphus.

D. HELENA CONSTANTINI Mater.

Priſcum opus apud N. N.

EPIGR. XCII.

MAgni ter ſalue, Conſtantini inclyta Mater:
Tu Nati fulges laudibus, ille tuis.
Quantum res fidei creuere à Cæſare tanto,
Quæ paris Auguſtum, dona fuere tua.
Imà quæque diù iacuit tellure ſepulta,
Auſpice te, luci Crux rediuiua redit.
Crux iterum domitura Orbem caput exerit, & tu
Magnæ, Helena, inſtauras priſca trophæa Crucis.
Quæ Conſtantinum das Orbi, & nobile Lignum;
Dic age, quæ tandem ſplendidiora dares?

COMITISSAE MATILDAE Statua.

In Vaticano.

EPIGR. XCIII.

NOn auro, aut opibus creſcunt, ſed ſanguine fuſo
Chriſtiadum faſces, Imperiumque Dei.
Tu tamen, & ſceptro cumulas, opibuſque ſuperbis,
Scribis & hæredem ex aſſe, Matilda, Petrum.
Hinc Vaticano tua ſtant ſimulacra, perenni
Magnanima & virtus extat in effigie.
Contenta es paucis: hoc grandi ex indole: pauca!
Accepiſſe, manu diuite magna dare.

ZENOBIA PALMIRAENORVM Regina.

In Capitolio.

EPIGR. XCIV.

HAnc meritò ſculptor galeatam marmore finxit,
Fœmineum & duro munijt ære ſiuum.
Aſsyria hæc Pallas doctas hinc excolit artes;
Territat hinc hoſtes fulmine, & ore minax.
Terret Achæmenios armis, Regemque triumphat;
Audet & in Latios arma mouere Duces.
Palmam ſæpe refert fuſis Legionibus: atqui
Dat tandem Latijs faſcibus ipſa manus. (phet
Roma videt victam, & vinctam: at velut ipſa triũ-
Zenobia, intrepido it pectore, & ore ferox.
Dum ſcandunt Victa, & Victor Capitolia: vulgus
Hæc victrix, inquit, victus & ille fuit.

MOY-

MOYSIS STATVA.

Bonarotæ opus ad ſepulcrũ Iulij PP. Tertij.

EPIGR. XCV.

MArmor vt hoc viuat, non ars induſtria iuſſit,
Peruigil egregij non labor artificis.
Ipſe ſed Iſacidùm Ductor, quẽ in marmore cernis;
Ipſe operi ſenſum ſufficit, ipſe animam.
Corniger en terret vultus; ceruice rebelles
Prædurà en populos corripit ore graui.
Nunc etiam nunc arentes in flumina rupes
Ire iubet: trepidis ſcinditur æquor aquis.
Qualis erat Moyſes, regeret cum ſpiritus artus;
Marmore ſi in gelido terret, & ardet adhuc?

EIVSDEM MOYSIS STATVA.

Ad aquam Felicem.

EPIGR. XCVI.

INter murmura perſtrepentis vndæ
Ductor Iſacidùm libens, volenſque
Hæret perdius, excubatque nocte.
Maieſtas radiata fulget ore:
Virgam terrificus mouet, liquentes
Ceu tum verbere prouocaſſet vndas;
Iuſſerit riguas & eſſe rupes.
Qui cautes Arabum erudiuit olim
Fontes in ſubitos abire Moſes;
Ille ductile flumen arte fictus
Rupe cernitur euocare dura.
Cedant priſca recentibus: profunda
Quæ Gens Iſacidùm ſemel fluenta
Vidit è rigido ſcatere ſaxo;
En nunc, tergemino iubente Sixto,
Vociſque imperio obſequente rupe,
Semper gurgite copioſiore

Manant, murmure & adſtrepunt perenni;
Sicca nec fluitare ſaxa ceſſant.

EADEM MOYSIS STATVA.

EPIGR. XCVII.

LEgiferū Abramidûm, irradiant cui cornua frōtē
Lucida, præſtanti hic corpore ſtare vides.
Pro ſceptro virga eſt: ſumma hac moderatur, & ima:
Hac terræ, hac atris iura dat & ſuperis.
Si neſcis, riguæ hic renouat miracula rupis,
Auditurque iterum à marmore murmur aquæ.
Munere collato, nec abit ſed Corniger Heros;
Hæret, & immoto permanet ille gradu.
Deficiat nempè, vt ſi fortè hæc ductilis vnda,
Prompta ſit ad fluuios virga operoſa nouos.

EADEM STATVA.

EPIGR. XCVIII.

HAnc Sixtus vndam vitream, Penates
Adire Martis iuſſit, aduenamque
Excepit vlnis marmorum, rigaret
Vt copioſiore fonte Romam.
Fauſtè vocata Felix, quàm ſuperbit
Sortita nomen Maximi Quirini!
Hos à bicorni fronte notus Heros,
Hoc qui videtur palpitare ſaxo,
Miratus amnes fuſiles, fatetur,
Vidiſſe nunquam largiùs fugaces
Manaſſe riuos, ſe iubente; virga
Cum ſaxa in vndas ſolueret liquentes.
Illectus inde blandulis ſuſurris,
Immotus hærens, hinc abire neſcit,
Pendetque amœnitate captus amnis.
Fluctus canora voce fertur Orpheus
Frænaſſe fluminumque, fontiumque:
At nunc vices mutantur; ipſa nanque

Fluen-

Fluenta ſunt, quæ detinent, trahuntque
Ad leue murmur defluentis vndæ.

QVATVOR FLVMINVM Statuæ.

Bernini opus in Foro Agonali.

EPIGR. XCIX.

ASpice, vt in medio exũdẽt noua flumina Romę,
Et Latium exhilarent amne cadente Forum.
Gemmifer hic Ganges, velato hic vertice Nilus,
Hic Syrus Euphrates, Armeniuſque Tigris.
Ceu coniuratis venere huc longiùs vndis,
Romuleaſque ædes incoluiſſe iuuat.
Primæuos liquiſſe olim dum pœnitet Hortos,
Et nequit ad fontes vnda redire ſuos;
Te volucri petiere ſimul, Roma inclyta, curſu:
Horto ſicque fruì nobiliore putant.

QVIRINALES EQVI.

Phidiæ, & Praxitelis opus.

EPIGR. C.

PEllæus Iuuenis viden ardeat vnus, & alter?
Et geminos gemino in marmore fręnet equos?
Format Phidiacus labor hunc; labor improbus illũ
Format Praxitelis: par vtrobique decus.
Aemula Romuleus miratur marmora Ciuis;
Et quæ ſæpe videt, ſæpe videre cupit.
Credite: Alexandrum artificis ſic dextera finxit,
Fictum vt Alexandrum plus vereatur equus.
Alipedem contra artificis ſic dextera finxit,
Plus vt Alexander fictum amet alipedem.

CLEOPATRA AD FONTEM Horti Vaticani.

EPIGR. CI.

QVæ fræna Nili rexit, & Canopi
Auguſta Pellex, ore pulchro, flauo
Spectanda crine; pulchrior videtur
Ab arte, quæ poliuit hocce marmor.
Duces Latinos, qui domare ſceptro
Sciuere terras, martiaque dextra,
Memphitis hæc Regina amore vicit,
Secumque duxit nobilem in triumphum.
Nunc Vaticani quà fluit perennis
Hæc vena, viuo collocata fonte,
Ad murmurantem recreatur vndam.
Hic noſter, inquit, Nilus, hic Canopus:
Hic vela temno Cæſarum; triumphus
Non terret amplius Latinus, aſpis
Nec amplius noſtros ſecat lacertos.
Sum Ciuis Vrbis, & placent Quirites:
Me ſculptile hoc marmor facit Latinam.

EIVSDEM CLEOPATRAE CAPVT marmoreum.

Apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CII.

NOn Atauos iactas, Cleopatra, & ſceptra Canopi,
Nec quas ſeptenus dat tibi Nilus opes.
Quàm bellè vernas: forma eſt tua gloria prima;
Florenti Latios hinc capis ore Duces.
Flaueſcit crinis; niueos & lilia pingunt
Cana ſinus: vultu ſtant Paphiæque roſæ:
Tu caue, ne pictis lateat ſub floribus anguis:
At latuit; nanque hinc mors violenta tibi.

LAOCOON CVM FILIIS;
In Hortis Vaticanis.

EPIGR. CIII.

QVæ tibi, Laocoon, crudelia fata, tuæque
Infandam Soboli commeruere necem;
Exprimit hoc marmor, miſerandũ à cœde,ſed alto
Nobile ab ingenio, peruigilique manu.
En feralè ardent angues, ſinuoſaque tollunt
Colla truces; dirè lingua triſulca vibrat.
Corripiunt miſeros, nectunt Natoſque,Patremque;
Implicitis nulla eſt tortili ab angue ſalus.
Quam diri amplexus colubrum, nexuſque cruenti!
Plectere, & amplecti nanque fuere ſimul.

HERCVLES MVTILVS.
In Hortis Vaticanis.

EPIGR. CIII.

OLim toroſus Hercules, manuque
Fortis, ter ingens, cui vigor lacertis;
Et ampla ceruix, & caput peraptum
Aſtris ferendis, Orbibuſque magnis;
En truncus hic ridendus adſto, ineptus,
Ignauus Hercules: caput ſublime
Nullum, nec horrendi vibrant lacerti;
Diffracta crura, tibiæque deſunt.
Nefas quis auſus grande? tam ſeuerè
Quis mulctat Herculem ferocientem?
Scias ſed, hoſpes, marmor hoc ineptum
Truncumque, diſciſſumque, perditumque
Exemplar eſſe cultioris artis.
Hinc lineamenta, hinc modum, figuram
Petunt ſuo cælo manus peritæ,
Docentque ſaxa nunc loqui disertè.
Sternebat olim monſtra magnus Heros;

Nunc

Nunc ipſe monſtrum turpe: grande quamuis
Sit inſuper monſtrum elegantiarum.

AE S C V L A P I V S.

Apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CIV.

HVnc fecere Deum mortalia corpora, docto
Quæ nempè ingenio ſeruat, & arte fouet.
Ceu foret is merito immortali dignus honore,
Quo diffracta ferox mors ſua tela videt.
At propè te vigilat cur hic reuolubilis anguis,
Dirus & intorto corpore terret hydrus?
Nempè docet medicæ Princeps te Aſclepius artis,
Quo ſeruanda modo ſit pretioſa ſalus.
Nam ſicut Heſperidũ draco peruigil excubat auro;
Sic eſt peruigili hôc angue tuenda ſalus.

AESCVLAPIVS.

In Theatro Marcelli apud Sabellos.

EPIGR. CV.

CErnis, cui coluber retortus ambit,
Flexis orbibus implicatque virgam?
Fallor? Phœbigena an Deus medendi
Hoc è marmore pollicetur artem?
Hic ille herbipotens ſalubriori
Doctus pocula temperare ſucco.
Hìc Aſclepius ille, quem magiſtrum
Nouit Phyllirides, colit Machaon.
Hanc quiſquis ſtatuam expoliuit, ille
Maior Praxitele, & Myrone maior,
Et poni ſtatuam ſibi meretur.
Laudari meritò petit diſertis
Linguis hoc opus inclytum; ſed artis
Exculta hæc monumenta nullus æquet.

Ser-

Serpens Numinis ipſe, qui trilinguis,
Impar extiterit: loquente linguâ
Nunquam tergeminâ ſatis loquetur.

DIRCE ALLIGATA TAVRO.

Apud Farneſios.

EPIGR. CVI.

QVàm tibi dira offert rigidum ſpectacula marmor
Aſpicis? innocuus terret & ipſe lapis.
Indignabundus dirè ſua cornua taurus
Vibrat, & inſani pectoris igne furit.
Non funes retinent, æſtroque, iraque ferocem
Nulla reluctantem vis cohibere poteſt.
Stat damnata truci Virgo perterrita tauro:
Tota horret: trepido pallet in ore metus.
Affert marmor opem: miſeræ neſcitque Puellæ
Inferre horrificam bellua ſculpta necem;
Dum ſic inſanit, nequit inſanire: ſuperbam
Nempè Feram marmor non ſinit eſſe feram.

HERCVLES APVD FARNESIOS.

EPIGR. CVII.

VVltu inerat terror, vis & robuſta lacertis
Alcidi; fuſum pectus & ære fuit.
Cernitis? hunc mirè effinxit manus impigra; ab illo
Hercule nil, herclè, diſcrepat effigies.
Amphitrion alter genuit, vel Iuppiter alter
Hunc iterum Alcidem, corpore, & ore parem.
Prouocat hic iterum Lerneia monſtra: minatur
Hinc clauâ; hinc humeris terret & ipſe leo.
Qui videt hunc, ait: Alcides eſt: fabula; ſed quæ
Eſt mendax, veram ars ingenioſa facit.

HERCVLES CVM HYDRA.

Apud Veroſpios.

EPIGR. CVIII.

CLauà olim rigida Alcides, vultuque minaci
Horrida perterret monſtra, hominesq; feros.
Hinc Tarteſſiacus Paſtor, Buſyris & acer:
Hinc ſeptimgemino vertice & hydra cadit.
Nunc licet ore ferox, placet ipſa ferocia: vultus
Haud terrent: propior Lerna nec ipſa timet.
Quis docet Alcidem toruum manſueſcere? gratas
Quis Veneres duro hoc marmore ſtare iubet?
Si neſcis, docta hæc miracula dextera, marmor
Vulnere Phidiaco quæ ferit, illa facit.

HERCVLES AENEVS.

In Aedibus Capitolinis.

EPIGR. CIX.

TErret æneus Hercules, & ore
Spirat terrifico minas, metumque;
Clauà hinc nititur horridà: labore
Parta hinc aurea poma porrigentem
Cernis: nam vigili dracone cœſo,
Syluas Heſperidum, micante claras
Auro depopulatus, inde Mauras
Aufert diuitias manu ſuperba.
Hunc Atlantiacis grauem rapinis,
Finxit nobilis artifex; ſuoque
Fecit ingenio, vt minentur æra,
Atque adhuc fera monſtra pertimeſcant;
Fictos Herculis, horridoſque vultus
Miſit Græcia Romulas ad oras:
Artis mirum opus: at caue Quiritum
Gens: Tirintius hic ſuperſtes arte,
Viuit; Herculeam caue rapinam,

Fortè

Fortè huc appulit hoſpes, vt Latinas
Gazas auferat, aureis Sororum
Hortis *H*eſperidum celebriores.

LVPA ROMVLO, ET REMO præbens vbera.

In Capitolio.

EPIGR. CX.

TRux Lupa nunc primùm viſa eſt miteſcere, ſic-
Guttura & Infantum lacte rigare ſuo. (ca
Fortè quid auguſtum Puerorum in fronte tuetur:
Aut regnatricem Romam aluiſſe putat.
Nec metuunt, horrentque feram par nobile Fratrũ,
Impauido eſtque illis martius ore vigor.
Vnde ſed hæc pietas? cernis ſaxumque, lupamque
Immanem; eſt ne pium marmor, an ipſa lupa?

PVGNA LEONIS CVM EQVO.

In Romano Capitolio.

EPIGR. CXI.

HErculis *H*erculeo vis eſt innata leoni:
Horrida frons, rictus, horrida & ipſa iuba eſt.
Quid valeat, docet hoc ſaxum: non calcibus, acri
Non morſu eſt Libyco à fulmine tutus equus.
Calcitrat ille, auſus toruo certare leoni;
Vngue ſed audacem vindicat ecce leo.
Diſcerpit nanque ore ferox, & parta ſuperbus
Dilaniat facili dente trophęa ſuo.
Hæc expreſſa vides ſic marmore; marmor vt ipsũ
Terreat, & Nemeæ monſtra videre putes.

VALE-

VALERII CORVINI STATVA.

In Capitolio.

EPIGR. CXII.

AVdax Valerium diſtricto prouocat enſe
Gallus, flammiuomas nec timet ille minas.
Dum pede pes premitur diro certamine, Coruus
Ad Latij galeam cernitur ire Ducis.
Hic alas, hic roſtra agitat, Gallumque ſuperbum
Pennatus miles territat vngue truci.
Nec mora: Romano palmam fauſtè attulit Ales,
Coruinique dedit nomina Valerio.
Quid iactant Aquilæ victricia fulmina? & ipſe
Pro Latijs Ducibus fulmina Coruus habet.

TRIVM DECIORVM Statuæ,

In eodem Capitolio.

EPIGR. CXIII.

TErgeminum hic cernis Decium, fatale ſaluti
Communi nomen, Romulidumque decus.
Vis illis eadem traduci ab ſanguine: magno
Non Decio Decius mente, manuque minor.
Quiſque ſuum Patriæ caput impenetrabile, & æuum
Deuouet: in lethum nobile quiſque ruit.
Sic rem Romanam ſuſtentauere cadendo,
Erectam & caſu ſic voluere ſuo.
Roma vides Decios rediuiuos: barbarus hoſtis
Si redeat, Decij iam rediere tui.

HORA-

HORATIVS CVRIATIORVM victor, & Sororis interfector.

In eodem Capitolio.

EPIGR. CXIV.

VIctor, & exuuijs dum diues Horatius inter
  Romulidum plauſus tecta Quirina petit;
Coniugis extincti deflentem fata Sororem
  Indignabundus conficit enſe ſuam.
Mulctanturque piæ lachrymæ: & quę cęde calebat,
  Indefeſſa calet dextera cœde nouà.
Vicerat ille foris: ſed dum compeſcere neſcit
  Exundantem iram, victus & ille domi eſt.
At te, quando Soror lachrymis non flexit, Horati,
  Iure lapis vultus exprimit iſte tuos.

ATTILII REGVLI Statua.

In eodem Capitolio.

EPIGR. CXV.

SI cupis æs triplex, adamãtem & cernere magnæ
  Indolis, huc oculos, Aduena, fige tuos.
Regulus hic bellis, palmiſque tot inclytus ille,
  Cui par fortunæ pectus vtrique fuit.
Magnanimus, ſi victor erat: ſed victus, ahenos
  Induit in nexus colla, ſolutus adhuc.
Liber erat, ferro adſtrictus; ſupraque catenam;
  Et durà maior compede mens inerat.
Quin pęnæ, Pœnique furunt: laniatur: at ille
  Pænas, & Pœnos negligit ore pari.
Efficit, Attili, tua te conſtantia marmor:
  Teque tibi ſtatuam, dura ferendo, facis.

TAR-

TARQVINII COLLATINI
Statua.
In Capitolio.

EPIGR. CXVI.

INgenuum pectus dum, Collatine, pudicæ
  Dilaudas nimiùm Coniugis ipſe tuæ;
Prodis formoſæ decus inſuperabile frontis,
  Ilicet & cupido in pectore flamma calet.
Audit nam ſimul, & perijt correptus ab igne
  Sextus Acidalio, feruet & intus amor.
Nec mora: dum tacitis Lucretia lucubrat horis,
  Falcato Accipiter deuolat vngue ferox.
Obniti illa nequit: facinuſque vlciſcitur enſe;
  Atque ſuà voluit mox cecidiſse manu.
Collatine, loqui nocuit: te cautiùs inde
  Marmore in hoc muto conticuiſſe iuuat.

COMMODI CAESARIS
caput.
In Capitolio.

EPIGR. CXVII.

SVrgeret Auguſti quàm grandi mole Coloſſus,
  Indicat hoc Pario è marmore grande caput.
Commodus hic ille eſt, Latiæ non commodus Vrbi:
  Cernis in immani Cæſaris ore feram.
Delicijs ſacer inceſtis; diſcerpere Ciues,
  Has quoque delicias credidit eſſe ſuas.
Vlciſci Nemeſis tot crimina debuit, atque
  Noxia tot ſcelerum plectere pœna reum.
Ceruice hinc meritò ſciſsà, ceu vindice ferro,
  Sectum Romulea proſtet in Vrbe caput.

SER-

ERTORII STATVA.

In Capitolio.

EPIGR. CXVIII.

SYllanam vt fugeret rabiem Sertorius, vltra
Pirenem it ſpirans prælia, Marte duce.
ellorum rigidas bellando hìc efferat artes,
Aſperat & mores ſæua per arma ſuos.
Iinc Latias Aquilas, Phlægręo fulmine, & acri
Vngue truces, ſtricto prouocat enſe ferox.
Confert ſigna quater, quat r & victricia ſigna
Marte refert fauſto: Duxque, acieſque cadunt.
ed te Pompeij tandem dextra inclyta fudit:
Quamuis hoc vi ci fulmine, palma fuit.
u Ciuis, tu Romæ hoſtis: nunc marmore in iſto
Ciuem amat, atque hoſtem non timet illa ſuum.

TROPHAEA C. MARII.

In Romano Capitolio.

EPIGR. CXIX.

QVi fudit Marius Cymbros, & Teutonas acres,
Hæc ſtatuit palmæ ſculpta trophæa ſuæ,
erne triumphales currus; pompamque ſuperbam
Cerne catenatos nobilitare Duces.
Ioſtiles hìc exuuiæ, clypeique trilices,
Hic haſtæ, hic geſæ, hic timpana mixta tubis:
Iæc ſed mole graui triuit rota temporis acti,
Suntque hi ſemeſi corporis oſſiculi.
t quæ iam Marij fuerant excelſa trophæa,
Ceu ſua nunc iactat fluxa trophæa dies.

MELEAGER.

Eximium opus apud Farneſios.

EPIGR. CXX.

HIc nemorum terror, Meleager, vindice dextra
Spumantem fixit qui Calydonis aprum.

Ingenio ſculptus miro; vel marmore languet:
Cernis? magnanimi nil habet ille viri.
Nam furijs agitata Parens, exuta parentem,
Sollicitat triſtem dira nouerca necem.
Sic Parcis viſum: flagrante vt ſtipite ſenſim,
Is lethum lento funere obiret atrox.
Euenere: cadit ſenſim Calydonius Heros:
Quem flamma haud tangit torrida, flāma necat.
Hic ſed viuit adhuc Meleager: ſcilicet Auctór
Hoc tantum nouit, ſaxa animare manu.

TRES GRATIAE.

Eximij operis apud Ducem Caetanum.

EPIGR. CXXI.

TErgemina hic Virgo vel in vno eſt marmore: ad (vnguē
Factum opus, egregiæ meta ſuprema manus.
Primo flore æui vernant: forma omnibus vna
Pulchrior: eſt hilaris frons, oculiſque lepor.
Sunt Charites, nectit quas nodus amabilis; illam
Illa manu prenſat: mutuus vnit amor.
Porrigit hæc donum; capit hæc; largè illa rependit:
Quæque ſuum grato in munere munus obit.
Non humeris velum, nineo ſtant pectore nudæ:
Nempè procul fucò det ſua dona manus.
At cur in ſolido ſtant marmore? ſcilicet, vt ſint
Immota in memori pectore dona, monent.

NERONIS CAESARIS CAPVT.

Excellentis artis apud eundem Ducem Caetanum.

EPIGR. CXXII.

SI cupis horrendi effigiem ſpectare Neronis,
Immane hoc Pario è marmore cerne caput.
Mole vides grandi; in grandi at nil mole cerebri:
Non tumet à docta Pallade tale caput.

Cæſa-

æſaries caluo non ludit pendula : nempè
Horret ab inſano vertice crinis ali.
uda gena, implume eſt mentum: ne fortè putares,
Bellua qui fuerat ſæua, fuiſſe hominem.
a oculis ardet: flamma hac incendere Romam
Non timuit, Patriæ fax, hominumque pudor;
lim odere; placet nunc: nec mirum: arte magiſtra
Cernitur in pretio dirior eſſe Nero.

GRIPPINAE NERONIS MATRIS caput.

Apud eundem Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CXXIII.

QVā benè Arippinæ ſpirāt hoc marmore vultus:
Huius nempè refert aptiùs ora nihil.
ndole quæ rigidum peperit, durumque Neronem,
Illa & Spartanum credite, marmor erat.
uod ſi non eſſet, crudeliá facta Neronis
Dum videt, eſt gelidus facta ſtupore lapis.

ORNELIAE POMPEII CONIVGIS caput marmoreum.

Apud eundem Ducem.

EPIGR. CXXIV.

MAſcula cui virtus, ingens & pectore robur,
Fronte fuit mollis fœmina, & ore tenus.
agnanimà virtute æquat Cornelia magnum
Pompeium, Coniux ter generoſa Virum.
on illam Emathiæ fregere excidia pugnæ:
Non mare, non ſcopuli, dira nec ira Iouis;
uid Pharon infidam? miſerandà cęde Maritum
Cruda Semiuiri quid cecidiſſe manu?

Vidit non vno diſcerptum vulnere corpus
Nobile; nec viſa eſt obriguiſſe videns.
Se vicit: tandem at magno ceſſiſſe dolori
Debuit; in gelidum hoc marmor & obriguit.

LIVIAE AVGVSTI CONIVGIS caput marmoreum.

Apud eundem Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CXXV.

PAr erat, vt roſeos pretioſum, Liuia, vultus
Fingeret aut aurum, aut Indica gemma tuos.
Quæ formà præſtas inter formoſior omnes,
Liuia, vile tibi ſculptile marmor erat.
Adde fidem, niueumq; thorum, obſequiumq; Marito,
Iure erat hæc virtus auro animanda ſuo.
Tu tamen auguſta Auguſti pulcherrima Coniux,
Non renuis Phrygij marmoris effigiem:
Nam ſi gemma refert vultus, dat gemma decorem:
Si ſaxum, ſaxo tu facis ipſa decus.

IVLIAE AVGVSTI FILIAE caput marmoreum.

Apud eundem Caetanum Ducem.

EPIGR. CXXVI.

ES dura Auguſti Soboles in marmore duro,
Olim quæ nimiùm, Iulia, mollis eras.
Auſterus non ore pudor; non corde pudico,
Quæ decuit caſtas, fortis Iaſpis erat.
Sed facilem fecit Venus illaudata, deditque
Prona cupidinibus pectora mollis amor.
Marmore & hinc fingi, pœna eſt: mollita Diones
Delicijs, meritò eſt Iulia dura ſilex.

FAV-

FAVSTAE CONSTANTINI Magni Coniugis caput.
Apud eundem.

EPIGR. CXXVII.

HÆc Auguſta, tenus pulchro quę nomine Fauſta;
Nulli mendaci nomine fauſta fuit.
Attulit exitium Priuigno inceſta Nouerca:
Dumque illum inſanè deperit, ille perit.
Illuſitque Viro infauſtè: acceditque furentem;
Amputet vt Nati regia colla Pater.
Nec ſibi fauſta fuit: ſiquidem ſic prouocat iram
Coniugis, in Fauſtam vt Coniugis ira tonet.
Quiſquis es, à Fauſta ingenium tu diſce Nouercæ;
Vel cum mollis amat, dura Nouerca nocet.

L. CATILINAE caput marmoreum.
Apud eundem.

EPIGR. CXXVIII.

MArmore in hoc gelido effingi non debuit Ille;
Turbida qui belli fax, Patriæque fuit.
Prodit nempè ſtatim ſe ſe Catilina, ſuperbis
Trux oculis, fronte & toruus, & ore minax.
Imminet in Patriæ iugulum; iam compede durà
Vrbem Orbis Dominam perdomuiſſe ratus.
Quæ maria, & terras ſubigit terrore, metuque,
Improbe, Marte tuo ſubdere poſſe putas?
Viſcera qui Matris tentas, fera vipera, iure
Vulnera per centum dira venena vomis.

M. CRASSI caput marmoreum.
Apud eundem.

EPIGR. CXXIX.

ASpicis hìc Craſsũ, è ſolido cui marmore vultus;
Mens auri ſitiens, corda fuere chalybs.

Bella mouet Parthis: nec tā ſibi ſubdere Parthos.
Quam ſibi Parthorum ſubdere quærit opes.
Armatæque Aquilæ Romano fulmine, Gentis
Aurum vncis rapiunt vnguibus, ore vorant.
Vinceris at verſis Parthorum, Craſſe, ſagittis;
Dira nec extincta eſt pectoris illa ſitis.
Hinc riguo perfuſa auro ſunt ora: ſitiſti
Aurum, aiunt: aurum guttura anhela bibant;
Auro alii potant: ipſum tu combibis aurum;
Eſtque hæc tam diues potio digna ſiti.
At, ſi viciſſes, aurum tu, Craſſe, voraſſes;
Aurum ſed victus fuſile, Craſſe, bibis.

HOMERI caput marmoreum.
Apud eundem Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CXXX.

HIc nouus Amphion, qui diruta mœnia Troiæ
Viſus Apollineis reſtituiſſe modis.
Mœoniis ſiquidem cladem ſic verſibus ornat,
Vt rediuiuam Vrbem ſic rediſſe putes.
Quis fuerit, cernis vel ſculpto in marmore: nanque
Ardet adhuc vultu flammeus ille furor.
Luce carent oculi: queis cœca in nocte ſepultis,
Totus Pierio in carmine fulgor erat.
At num cecus erit, qui vltroque, citroq; per Orbem
Currit, fama ingens, liberiore pede?

SYLLAE caput marmoreum.
Apud eundem Ducem.

Moritur hic vermibus è corpore ſcaturientibus.

EPIGR. CXXXI.

SYlla foris victor, gentes, Regeſque ſubegit;
Illum ſed rabies vicit, & ira domi.
Buſyris, Phalariſque atrox, rigiduſque Procuſtes
Non æquant nomen, Sylla cruente, tuum.

Delicias reputas diſcerpta cadauera: ſæuis
Compita, quæ fumant cędibus, illa placent.
Ebrius it Tybris, patrio tumiduſque cruore,
Gurgite & euoluit corpora cęſa ſuo.
Te nullus lictor, nullus Phariuſque Tyrannus,
Aut Siculus Phalaris, dire laniſta, necat?
Tu tibi pernicies, tu lictor: conficit & te,
Quæ fędo ebullit corpore viua lues.
Qui meritâ ſiquidem te vindicet, improbe, pęna;
Te peior nullus, Sylla, Tyrannus erat.

C. MARII caput marmoreum,
Apud eundem Ducem.

EPIGR. CXXXII.

NOn hìc magnanimi ſpirantia Conſulis ora;
Non hìc Romulidū Dux, vel imago Ducis:
Sanguinis at ſitiens monſtrum, trabeataque dici
Bellua, non Marius, nomine iure poteſt.
Hic, Sylla victore, Africam petit exul; at irâ,
Vt laceret Patriam, percitus inde redit.
Non æuo, aut generi parcit, non faſcibus; æquè
Bacchatur rabies trux, Stygiuſque furor.
Obtruncat, iugulat: caput hoc ſtat penſile roſtris;
Hoc menſis inter fercula prima venit.
Per fora & hic vncis rapitur; diſcerpitur ille;
Tota paludato ſanguine Roma natat.
Ex Africa Marius redit: exitiabile nempè
Hic monſtrum, hìc didicit Punicus eſſe leo.

C. FABRITIVS CONSVL.
Apud eundem Sermonetæ Ducem.

EPIGR. CXXXIII.

FAbritiū hoc marmor vel mutū laudat, & acres
Oſtendit vultus, martia & ora Viri:
Aurea num virtus fuerit pro diuite cenſu,
Aurea Samnitum munera ſpreta docent.

An ſolidum pectus, cinctumque illi ære trilici,
Magnanimus Pyrrhus ſpretus & ipſe docet.
Romana vt rerum moles ad ſydera ſurgat,
Addere dextram operi debuit iſte Faber:

QVINTIVS Cincinnatus Dictator.

Apud eundem Ducem.

EPIGR. CXXXIV.

CErnitis Agricolam trabeatum, Sole peruſti
Cui vultus, grandi at martius ore vigor?
Quintius hic ille à duro Dictator aratro:
*R*ure ſerit, dextrà at caſtra inimica metit.
Nanque vbi Gradiui cecinerunt claſſica; campum
Mutat, in haſtatam conuolat & ſegetem.
Linquit agros, lentoſque boues, dentataque raſtra;
Fert ſolùm, vt premeret colla ſubacta, iugum.
Hinc domiti Volſci, hinc Aequi, rigidique Latini;
Hinc parta Agricolæ pulchra trophęa manu.
At poſt bella redis tu, Cincinnate: triumphas,
Cum repetis ſyluas victor, aratra, boues,

MESSALINA CLAVDII CAESARIS Coniux.

Apud eundem Ducem Caetanum.

EPIGR. CXXXV.

FAſcibus Auſonijs, & Cæſare Coniuge Coniux
Indigna, hæc fœdat nomine ſigna ſuo.
Noſcitis à vultu? Illa hæc Meſſalina, Latinæ
Probrum Aulæ, nullis exàturata procis.
Non illam pudor ingenuus, non publica frænat
Fama, nec Auguſti Coniugis ora timet.
It diſcincta Nurus: nunc hos, nunc prenſat & illos;
Ardet anhelanti in pectore tota Venus.
Si nunc non ardet, rigidi ſunt munera ſaxi:
Nam flamma in gelido marmore nulla calet.

ANTO-

ANTONII caput marmoreum.
Apud eundem.

EPIGR. CXXXVI.

SI vitam, Antoni, dant Punica marmora, docti
Artificis mira hic arte perennis eris.
Regia te cepit Pellex: tibi vendit amores
Illa ſuos, ſimul & Regna Latina vorat:
Hinc Claſſe inſtructà, vela aurea pandis, & Orbis
Victrix, iam facilis Roma rapina tibi eſt.
Eſt lateri Cleopatra comes: Bellona ſuperba
Excitat & flammas pectoris illa tui.
Hinc itaque Auguſtus; Pharus hinc enauigat; atque
Iam puppis premitur puppe, ratiſque rate.
Nec mora: vilis amor, timor atque in pectore vili;
Te dant, Antoni, te Cleopatra, fugæ.
Auguſtum effugitis, non vos, nec fata: manuque
Quiſque ſua capitur, ſeque necaſſe, iuuat.

ANNIBAL CARTHAGINENSIS.
Apud eundem.

EPIGR. LXXXVII.

EDidit hoc belli fulmen, Martiſque timendum
Monſtrum, quæ ſolita eſt Africa monſtra dare.
Iuratus petat vt Latium, præteruolat Alpes:
Territat atque Aquilas Punicus iſte Leo.
Hic fugat, hic cædit; per ſtrata cadauera, fuſo
Conſule non vno, tecta Latina petit.
Cannarum cladem modius metitur: ab auro
Scitur, quid ſtragis fecerit ille chalybs.
Deliciæ at fregere Ducem: pro milite forti
Otia Romanis læta fuere Viris.
Conficitur tandem ferus Annibal ille veneno:
Nec deerant Libycæ dira venena Feræ.

QVIN-

QVINTVS FABIVS MAXIMVS.
Apud eundem Ducem.

EPIGR. CXXXVIII.

Cunctantē, lentumq; Ducē viden, exprimat aptè,
Viua hæc effigies, marmore ſculpta graui?
Hic Fabius, ſtando Pœnum qui proterit hoſtem,
Cui mora pro ſtricto fulmine, & enſe fuit.
Qui pede collato certet, petit Annibal hoſtem:
Collato at certet qui pede, nullus erat.
Continuiſſe Aquilam, bello ne pugnet aperto,
Hoc fuit, Annibalem vincere Marte nouo.
Sit magnus, qui bella manu gerit ardua: ſtando
Hoſtes qui domuit; Maximus ille fuit.

ATHLETARVM PAR IN HORTIS Mediceis.

EPIGR. CXXXIX.

Vides arenà ludere gymnicà,
Nuda & lacertis nectere corpora,
Et robur oſtentare crudum
Par Iuuenum generoſiorum.
Neruoſa torquent brachia: nititur
Præſtare virtus æmulas & æmulum
Strauiſſe conatur doloſo
Ingenio facilique dextrà.
Vtrique vultus feruidus æſtuat;
Sudantque, ceu ſtent puluere Olympico;
Iamque alter alterum ſublimem
Fert, ruat vt grauiore lapſu.
Hæc mira fecit nobilis artifex,
Hic robur extat pectoris igneum:
Hic ſaxa certant; hic anhela
Membra labor nimius fatigat.

Durat

Durat voluptas: nam fuerit breuis
Vnctis Achiuis lucta: perenniùs
Igneſcit hìc Athleta fortis,
Perpetuos mouet & lacertos.

BACCHVS in eadem Villa Mediceà.

EPIGR. CXL.

Cernis ſculptile Pincijs in hortis
Marmor? mirificus labor poliuit.
Hic ille auricomis reuinctus vuis
Bacchus: pampineos manu racemos
Profert, nectareo mero feraces.
Agnoſcis Semelem, Iouemque vultu:
Vernat lætitijs Lyæus, ore
Exundat placido liquor phalernus.
O quæ vitigeno mero voluptas!
Quæ vis feruida poculis Calenis!
Hinc vel marmora læta conſpicaris:
Et tot delicias calyx refundit,
Ipſa vt exhilarare ſaxa poſſit.

PASQVINI percelebris ſtatua.

EPIGR. CXLI.

Inter tot meritò ſtatuas antiqua recenſet,
Paſquine, egregias te quoque, Roma, ſuas.
Nobilis ipſe auctor te conformauit ad vnguem;
Nil operi curæ, nil ſtudijque deeſt.
At coniuratus diro cum tempore liuor,
Fœdare infandis te voluere modis.
Te mutilum ridet vulgus: turpiſque videri,
Diceris hoc trunco in marmore ſcurra fori.
Hoc plebis crimen: quiſquis nanque æſtimat artem,
Pulchrum opus hoc pretijs æſtimat ille ſuis.
Exacue interea linguam, quæ ſola remanſit,
Paſquine, & ſalibus vulgus adure tuis.

BAIVLVS IN ROMANO Curriculo.

EPIGR. CXLII.

SIſte hìc, Viator, vndam
Ad lenè curſitantem,
Quam proniore dextrà,
Cadoque murmurante
Tibi Baiulus propinat,
Siccaſque prouocare
Videtur imbre fauces:
Spumantis haud falerni
Calyces meraciores,
Nec Chia vina miſcet:
Leneus ille liquor
Quam ſæpe mentis arcem,
Moreſque pulchriores
Læſitque, perdiditque.
Vitreum miniſtrat amnem;
Recreatque labra puro
Siticuloſa fonte.
Neque hìc auara merces;
Nil Baiulus repoſcit:
Inempta proſtat vnda.
At rara gens Latina,
Quæ vina Coa mallet,
Labra proluit: liquentem,
Amice Baiule, vndam
Compeſce, claude riuos.

REX BARBARVS VICTVS. *In Domibus Cæſiorum.*

EPIGR. CXLIII.

ARtifici quæ ſculpta manu ſimulacra potentum
Aeternát Regum facta inclyta; ſorte maligna

In

In mea probra vicem mutant, æternaque noſtri
Marmore mãſuro ſunt nunc monumenta pudoris;
Alea me luſit Martis: Bellona fefellit
Arma, acieſque meas: victus, vinctuſq; catenis
Rex Numidũ cogor victricem agnoſcere dextrã.
Fortunæ ſatis hoc fuerit: quid fingere ſaxo
Dedècus æterno, cladenque animare perenni
Ingenio, facilique manu producere in æuum?
Artifici ſed parco libens: iniuria nanqne
Sit quamuis atrox, famam æternare pudendam;
Et me venturis miſerandum oſtendere ſeclis:
Attamen inſigne hoc probrum penſauit abundè
Inſigni ſtudio, cælaturiſque decorìs.
Nec me captiuum reputo: belloque ſubactus
Marmore in hoc videor viciſſe, & ferre triũphũ:
Atq; eſt grata mihi compes, mihi grata catena.

ROMA VICTRIX, ET DACIA capta.

In ÿſdem Cęſiorum Domibus.

EPIGR. CXLIV.

DEcertat geminus labor; Quirites
Admirantur vtrumque: palma pendet.
Victa hinc Dacia męret: hinc trophęum.
Victrix nobile Roma gratulatur
Effusè ſibi, Daciã ſubactã.
Huic lucet generoſa fronte virtus;
Præcincta & galea comas micantes,
Oſtentat ſua ſceptra, laureaſque.
Hæc ſed ſquallida proniore vultu
Ceruicem releuat manu reclinem,
Captiuaſque ſuas dolet ſecures.
Vrbis Romuleæ virilis ardor,
Fictus marmore, pectoriſque robur
Eſt pergratum oculis, placetque ſaxum;

Triſtis Dacia, turbiduſque crinis,
Ceruix pendula, cernuuſque vultus,
Oblectant pariter, ſatis, ſuperque.
Nempè hoc ingenium facit decorum,
Magnique Artificis manus: Latinæ
Nimirum vt placeat triumphus Vrbis,
Et Dacæ placeant graues catenæ.

SCIPIONIS AFRICANI caput.

Apud eoſdem Cæſios.

EPIGR. CXLV.

HIc metus Annibalis, pauor hic Carthaginis altę,
Regna hoc ſuſtinuit Romula grande Caput.
Cernitis? ignescit vultu Mars Thracius ipſe:
Martia vis fronti eſt, martius ore vigor.
Aerea nec capiti caſſis: nanque hoſte ſubacto
Marte ſuo, arma hoſtis Scipio nulla timet.
Quin ſi iterum redeat Carthago; & fulmine Pęno
Annibal ipſe iterum Regna Latina petat;
Non eſt, cur redeat rediuiuus Scipio: victum
Frangeret Annibalē hoc denuò inerme Caput.

CYRI PERSARVM REGIS ſimulacrum.

Apud eoſdem Caſios.

EPIGR. CXLVI.

CYre, putas facili Tomyrim proſternere bello,
Et Scythica hæc ſceptris ſubdere ſceptra tuis,
Fęmineos geſtare animos in pectore molli
Nempè putas; ſed erat fortior illa viris.
Ergo ſigna canunt; fractiſque phalangibus, ipſe
Cyre cadis; Tomyri palma cruenta fauet.

Nec

ſec mora: crudeli caput à ceruice reuulſum
Hæc, poſtquam calido ſanguine merſit, ait:
ſanguine te ſatia, Rex improbe, ſanguine par eſt,
Sanguinis immodicam exſatiaſſe ſitim.
Gaudet nunc Cyrus niueo ſe marmore fictum:
Nempè verecundus vanuit ille rubor.

ALEXANDER MAGNVS.
Apud eoſdem Cæſios.
EPIGR. CXLVII.

REgibus hic magnis maior, mundoq;ter amplo
Amplior, haud vno ſatiari viſus ab Orbe,
Mente auida terras prenſans, conuexaque Cæli.
Scilicet, eſſe alios vbi primum intelligit Orbes
Extra anni, Soliſque vias; expalluit ore (titũ
Bellipotens Macedo:& ſe non dũ vno Orbe po-
Anxiùs indoluit, lachrymis & fleuit obortis:
Oſtenditque flagrans pectus, qui perluit ora
Imber magnanimus: iam vltra cunabula Solis
Atque vltra Oceanum trãſnaſſet: magna vorarat
Vt quos mens Orbes, Pellæis occupet armis.
Quid? quòd lęta Patri inuidit Puer inclytus arma
Addubitans, ne non eſſet, quod vinceret ipſe?
Cerne at, quò Magnus decreuit: ſcilicet Orbe
Maior, in exiguo eſt hoc ſculptus marmore totus.

SATVRNVS FILIOS DEVORANS.
In Villa Ludouiſiana.
EPIGR. CXLVIII.

TOruà fronte Senex, vultuque immitis acerbo
Ieiuno infantem cernis, vt ore voret?
Hic Cælo genitus, Cęlo mox exulat: aſtris
Pellit fulmineo Iuppiter igne Patrem.
Et cur Natorum teneros depaſcitur artus;
Quæque fouenda forent, lactea membra vorat?

Aeui

Aeui nempè parens reuolubile deuorat æuum ;
Et quæ edit tempus ſecula, tempus edit.
Annorum hinc ſtrages fit ſuccedentibus annis,
Atque diem veniens conficit ipſa dies,
Tempora temporibus tu ne permitte vorari:
Et tibi ne pereant tempora fluxa, caue.
Aeternare potes rapidum virtutibus æuum:
Aeternùm ſi vis viuere, viue Deo.

IDEM SATVRNVS, NATVM deuorans.

Apud Sermonetæ Ducem.

EPIGR: CXLIX.

VIdes toroſum, viridi & æuo feruidum
Senem, velut det ipſe ròbur marmori.
Hic ille Falcifer Deus, Diuùm Parens,
Diuùm & vorator, ipſe quos luci dedit.
Stat fronte durà, iamque edit, quos edidit,
Nec lachrymulæ mouent puelli Numinis.
Tam dira torquet Præſides Deos fames,
Vorent vt auidè lacteos natos ſuos?
Quid nos Dynaſtas, ſæua terræ Numina,
Miramur, ore ſemper auido ſubditas
Vorare gentes, gentium & dites opes?
Exempla crudi fugite, Reges inclyti,
Numinis: abactus iure nam Cælo fuit,
Aſtriſque Saturnus ſuis; & exulem,
Profugumque tellus vidit, & mundo vagum.
Ne ſceptra Princeps ſua regat diù, vetat
Cupido dira, genius & nimis vorax.
Id marmor hoc monet', & ſcitè docet,
Saturnum vt auerſentur alti Principes,
Cuique à iuuando nomen, imitentur Iouem.

IVP-

VPPITER FVLMINANS.

Apud Ludouiſios.

EPIGR. CL.

HIc Rex ille hominũ ſummus, Rex ille Deorũ;
Scilicet, à trifido noſcitur igne Deus.
iſcite quæ Gentes coluerunt Numina: ab vno
Et reliquum vulgus diſcite, quale fuit.
alcigerum hic ſuperis Patrem deturbat ab aſtris;
Improbus vt Cælum ſolus, & aſtra regat.
ic Cælum, hic Orbem fędis inceſtibus implet,
Aulaque ſtellarum picta, lupanar eràt.
unc tauri frontem; nunc induit albus olorem;
Nunc violat niueos aurea gutta ſinus.
irginei hinc raptus: Puer hinc petit vnguibus vncis
Sydera: quis thalamus ſub Ioue tutus erat?
uod dextrà fulmen torquet penetrabile; crede,
In caput inceſti par foret ire Iouis.

NEPTVNVS.

Apud eoſdem.

EPIGR. CLI.

REx pelagi hoc voluit ſcopuloſo in marmore (cerni;
Cęrula ſtat nudus pectora, crine madet.
luctiuomo dat iura mari: criſpantibus vndis
Nunc ridet, rigido nunc aquilone furit.
ceptra tridentigeris quaſſat ventoſa lacertis:
Hinc Phocæ, hinc Triton Semifer ipſe pauet;
egia cryſtallis, ſupraque, infraque liquenti
Sapphiro, & viuo tota adamante micat.
oc mirum: quicquid piſcoſis viuit in vndis,
Vndas ſi vitreas liquerit, emoritur:
ic ſed Neptunum ſic ars expreſſit, vt extra
Aequoreas ſculpto in marmore viuat aquas.

DECII STATVA.

Apud eoſdem.

EPIGR. CLII.

MAgne Deci, Imperiũ princeps cui cura Latinũ,
Nobilis & Patriæ gloria, fama, decus.
Incolumi Roma, non illætabile lethum
Eſt tibi: pro Patria eſt dulce vouere caput.
Hinc ſublimis equo in medios te proripis hoſtes,
Magnanima & multo vulnere fata ſubis.
Conſulis hinc Patriæ generoſus Conſul: at ipſe
Dum cadis in caſtris, ſurgis in hac Statua.

IVNII BRVTI STATVA.

Apud eoſdem Ludouiſios.

EPIGR. CLIII.

BRute; pudicitiæ vindex, Regumq; furentum
Vltor, ab hac gemina laude perennis eris.
Tarquinios audax pellis; manibuſque ſuperbis
Magnanimà euellis Romula ſceptra manu.
Sic Collatini Manes, vmbramque pudicam
Placas; ſic Nuribus reſtituiſque decus.
Scilicet, vt magna auderes, Lucretia cultro
Ipſa ſuo viſa eſt, cor ſtimulare tuum.

MARCVS BRVTVS.

Apud eoſdem.

EPIGR. CLIV.

NOn tã magnanimi ſimulacrũ hoc aſpice Bruti,
Quàm veram Latij roboris effigiem.
Hac dextrà immeritam Patriam qui cõpede vinxit,
Feralis Patriæ, Iulius ille cadit.
Pectore & impreſſit quot vulnera, tot ſimul ora
Laudibus aſſeruit nempè diſerta ſuis.

Hoc

Hoc admirandum, quòd concidit enſe Tyrannus;
Ipſa nec in tanta cęde tyrannis obit.
Congeminas Patriæ duras quin, Brute, catenas,
Pulchro auſu nexus addis & ipſe nouos.
Compede nanq;graui vincta olim à Cæſare Roma;
Cæſaris à grandi nunc nece vincta tibi eſt.

MERCVRIVS apud eoſdem.

EPIGR. CLV.

QVi pede pennato Cyllenius, ocyor Euris,
Aſſolet æthereas ire redire vias:
Immoto nunc ſtare gradu hoc in marmore cernis;
Nec valet aligerum ferre, referre pedem.
Cuius & ore fluit diues facundia, mutus
Haud verba, haud faciles concipit ore ſonos.
Cum tibi non agilis pes ſit, nec lingua diſerta,
Herme; qui poteris nuntius eſſe Iouis?
At qui callidior fur es, furumque magiſter,
Debuit hoc certè te cruciare magis:
Nam ſi quid tacitus ſuetà furabere dextrà,
Te celeri haud poteris proripuiſſe gradu.

ACHILLIS STATVA.
In eadem Villa Ludouiſiana.

EPIGR. CLVI.

NItitur hic olim, dictus Pelèia Virgo,
Ore puellari delituiſſe diù.
Fronte ſed exutà mox Virginis, indicat ardens,
Virgo erat, an vellet diſſimulare virum?
Hic Aſiæ terror, domitorque, hic Ilion altum;
Turrita & Troiæ mœnia fudit humi.
Hectora quis ferro ſtrauit? quis vendidit auro
Corpora Priamidæ dilacerata Ducis?
Ni frons eſt mendax; vel ſaxeus æſtuat intus:
Percute: quàm multo hic arſerit igne lapis!

VLYSSIS STATVA.

Apud eoſdem Ludouiſios.

EPIGR. CLVII.

HOc Laertiades vt marmore viuat Vlyſſes,
Fecit peruigili ex arte Pelaſga manus.
Quis fuerit, grandi quis pectore ferbuit ardor,
Magnanimo haud mendax indicat ore lapis.
Hic rerum, fandique ſciens, verſatilis, acer,
Exerti ingenij vi, valuitque manu.
Laomedontæos hic Manes abſtulit: aſtris
Dilapſum hic marmor ſculptile nocte rapit.
Pergama poſt fuſa, huc ventis agitatus, & illuc,
Iratum fugiens, itque, reditque, mare.
Incidit in Ciconas: Libycas mox fertur ad oras:
Syrtes, Lotophagos luſit & ingenio.
Horrida Cyclopis delatus ad antra, Cyclopi
Abſtulit, extincto lumine, fronte diem.
Scyllæos horret fremitus; terretque Charybdis,
Quà vaſto ore vorax irrequieta latrat.
Sirenaſque truces mellito gutture velis
Non fuit exiguus præterijſſe labor.
Carmina quid pulchræ Circes ſuperaſſe? Calypſus
Quidue cupidineos deſeruiſſe lares?
Hactenus erratum: ſtabilem te marmore in iſto
Non mare, non aquilo nunc agitare queant.

ORPHEI STATVA.

Apud Ludouiſios.

EPIGR. CLVIII.

TReijcijs quicquid fidibus lapis abnegat iſte,
Supplet, quæ manus hoc inclyta ſculpſit opus.
Orphea nanque vides citharam ſic pectere, vt ipſa
Vox canat in Pario hoc marmore, plectra ſonent.

Quod

Quod ſi non ſtupidos amnes, ſyluaſque ſequentes;
Nec pronà attonitas conſpicis aure feras;
Ars fuit ingenij, ne dum miracula plectri
Aſpicerent, magnum deſpiceretur opus.

AMPHION apud eoſdem.

EPIGR. CLXIX.

TReijcij Vatis Vates Dircæus eburnam
Aemulus hic pulſat, voce canente, lyram.
Nam licet immotũ, mutumq; hoc marmore cernas;
Plectra mouere manus Praxitelæa facit.
Saxa olim Amphion mouit teſtudine: ſed nunc
Saxa mouere lyram muſica, maius opus.
Illa fuere olim Aonij miracula plectri:
Hæc facili ars dextrà ſplendidiora facit.

CALLIOPES SIMVLACRVM.

Apud eoſdem.

EPIGR: CLX.

MAter Iſmarij Lyriſtæ, & alti
Iouis filia, pulchrior ſorores
Inter Aonias, canora ſuaui
Plectro, Calliope, graui cothurno
Spiras altiùs; inclytiſque neruis
Pangis belligeros Duces, triumphos?
Non molles elegi iuuant; amoris
Nec luſus teneri, Venuſque pellex.
Muſas pinge alias colore viuo:
Vultu lilia floreant, roſæque:
Vernet lacteolis genis venuſtas:
Luxum Calliope perodit, atque
Formæ delicias, leueſque cultus:
Maieſtas placet ore, dignitaſque,
Et placet grauitas decora linguæ.
Hinc ſe marmore gratulatur eſſe
Expreſſam ſolido; quòd hinc diſertæ
Mentis indicat, indoliſque pondus.

DIANAE SIMVLACRVM

Apud eoſdem.

EPIGR. CLIXI.

VIrgineo innuptam cognoſcis ab ore Dianam
Cui pharetra eſt humeris, ſtricta ſagitta manu
Per ſaltus, ſyluaſque feror, nemorumq; per vmbras
Et quercus volucri me iuuat ire pede.
Nempè feras agito: ſurgentem in cornua taurum
Nunc figit, manus hęc nunc mea figit aprum.
Hę me deliciæ capiunt; Cœloque relicto,
Me nemus, & ſyluis me fera capta beat.
O vtinam hoc eſſet non tam graue marmor, In ipſ
Marmore nunc vellem ſollicitare feras.

HELENA.

In eadem Ludouiſiana Villa.

EPIGR. CLXII.

LEdęa hæc Soboles, tantum quæ Troica læſit
Pergama, & hęc pellex improba, nata Ioue
Fax Aſiæ, Spartana lues, & Dardana clades,
Troiugenùm funus triſte, thorique pudor.
Tindari, quæ tantùm nocuiſti fœmina mollis,
Nulli nunc marmor ſculptile facta, noces.
Sed nec læſiſſes, ſi tunc immobile marmor
Eſſes, cum Phrygiæ tę rapuere manus.

CAMILLA VOLSCORVM Regina.

Apud eoſdem Ludouiſios.

EPIGR. CLXIII.

HAec, quæ fœmineo decora vultu,
Spirat prælia, feruidumque Martem;

Tenus

Tenus virginei decore vultus
Fuit fęmina: cæterum peracris
Illi vis animæ; mareſque, ſexu
Maior, pectore ſpiritus fouebat.
Illa hæc belligeros Camilla, Volſcos
Quæ frænatt rigido ſeuera nutu.
Aſſueta vmbriferis puella ſyluis,
It quondam pharetrà minax, & arcu.
Terret ſetigeros apros, iubatos
Terret fulmineà manu leones.
Paſſim quercubus horridæ ferarum
Pendent exuuiæ, labor Camillæ,
Pulchra & magnanimæ trophæa dextræ.
At poſt indole grandior, cruenta
Mutat bella ferox: ſequuta ſæui
Martis æriſonas tubas, ſuperbis
Immixta it Rutilis ſagata Virgo,
Terror Troigenùm: calent, nec vna
Cœde ſanguinei rubent lacerti.
Hìc nunc otia bella poſt acerba
Nacta es, & poſitis quieſcis armis.
Quamuis hoc doleas, Virago fortis,
Quod durum, rigidumque marmor arma
Non det ampliùs expedire; velles
Quæ ſemper medio flagrare campo.

SENECAE morientis ſtatua.

In Hortis Burgheſianis.

EPIGR. CLXIV.

HIc cenſor morum facundus, hic ille Neronis
Auguſti rector, doctus & hic Seneca eſt.
Dum ſtudijs ornat, florenteſque educat annos
Cæſaris; heu, Romæ monſtra aluiſſe dolet.
Præmia quæ tulerit tanti digna ipſe laboris,
Triſtia, ſi neſcis, hęc ſimulacra docent.
Scilicet exſectis elanguit ille lacertis,
Exanimem cogit ſciſſaque vena mori.

Cerne, Nero quàm ſit fera bellua: nempè cruorem
Exprimit exangui è marmore, quo madeat.

DAVID FVNDAM ROTANS IN Goliam.

Bernini opus in Hortis Burgheſianis.

EPIGR. CLXV.

DIſijciat molem vt vaſtã, horrendumq; Gygãti
Ieſſides, fundæ verbere ſaxa rotat.
Toruà fronte minas cernis: collimat, & ardens
Contendit neruos, aſperat ora ferox.
At cur non tandem volat irreuocabile ſaxum?
Tortaque cur differt fundere funda virum?
Credite: Ieſſæi Iuuenis nil funda moratur:
Quem petat aerio fulmine, nullus adeſt.
Illum qui finxit, finxiſſet ſi arte Gygantem,
Iam fera ſtrauiſſet corpora miſſa ſilex.

DAPHNE FVGIENS, inſequente Apolline.

Bernini eiuſdem in eadem Villa.

EPIGR. CLXVI.

ET fugit, immota & perſtat Penèia Virgo;
Et ſequitur Phœbus, ſtat volucrique gradu.
Ocyor eſt ventis, immobilis eſt & vterque:
Aut neuter, facili aut currit vterque pede.
Mira hęc Artificis præſtat ſolertia: motum
Quem negat hinc marmor, præbuit inde labor.
Interea in Laurum Daphne frondeſcit: vt Auctor
Ipſe ſuum meritã fronde coronet opus.

TVRBA HOMINVM METV cadentis fulminis attonita.

In eadem Villa Burgheſiana.

EPIGR. CLXVII.

DEtonat horrendùm diffractis nubibus æther;
Et trifido terras Iuppiter igne petit.
Ad tonitru attonitæ gentes, dum tortile fulmen
Latè ardet, ſubito diriguere gelu.
Ad Cælum hìc tendit palmas; obmutuit ille:
Hic hæret, miris horret & ille modis.
Marmore cuncta breui hic ſpectas: Cœloq; tonãte,
Et caret hic motu, nec caret ille metu.
Nec mirum: in duro facile eſt effingere ſaxo;
Quæ facit exanimis frigida ſaxa pauor.

MARMOREVS PVER SPINAM educit è pede.

In eadem Villa Burgheſiana.

EPIGR. CLXVIII.

FIxiſſet ceu ſpina pedem peracuta cruentum;
Euellit ſpinam ſculptilis iſte puer.
Dexter agit: cernis? ſuſpenſa it dextera: curat
Molliùs, & ſenſim vellere, ne doleat.
Quiſque pedem dirè vexari cuſpide; verè
Traiectum puerum quiſque dolere putat!
Artificis quàm docta manus, quàm cauta Puelli!
Vtraque Phidiacum nobilitauit opus.

MVTIVS SCAEVOLA.

In eadem Villa.

EPIGR. CLXIX.

Hìc rigidà ſtat fronte minax en Mutius audax;
Inque tuum iugulum, Porſena, ſpectat adhuc.

Non

Non terrent æratæ acies, non aſpera pila;
Non frontem Regis, ſæua nec ora timet.
Itque alacer: iam ſica ardet, iam pectora figit:
Errat fallaci at vulnere dextra ferox.
Vindicat inde manum: ferro quæ peccat inerti,
Inuiti pœnam criminis igne luit.
Hoſpes, in exanimi hac ſtatua nunc Scæuola viuit;
Ardet in egelido hoc marmore & ille focus.

FVRIVS CAMILLVS.

In eadem Burgheſiana Villa.

EPIGR. CLXX.

MArmore in hoc rigido ſpirātē cerne Camillū,
Olim cui pectus nobile iaſpis erat.
Hic Vrbis vindex, ſceptri aſſertorque Latini,
Reſtituit Patriam fulmine, & enſe ſuo.
Sic Furius furit in Gallos, vt ab arce putarint
Tarpeiâ Galli, detonuiſſe Iouem.
Inſequitur, cędit: quem dirè accenderat ignem
Gallus, reſtinxit Gallicus ipſe cruor.
Qui cecidere, tuum Galli cecinere triumphum:
Hi litui, hæc palmis plectra, Camille, tuis.

TVLLIA TARQVINII SVPERBI Coniux.

In eadem Villa.

EPIGR. CLXXI.

DVrum quàm bene marmor hoc figurat
Vultus Tullię, & indolem ferocem.
Non æquat tamen illius ſeuerum
Pectus, nec rigidum refert ad vnguem,
Fingitque indomiti ſinus furorem.
Hæc conſanguineo cruore diras

Fau-

Fauces imbuit, ebibitque venas,
Ceſo Coniuge, pectoris mariti.
Hæc per corpora ſauciata Patris
Iubet, proh facinus! meare ſæuè
Currus præcipiti rotà volucres.
Crudeli aſpide & acrior terendum
Dulcem dat rapidis equis Parentem.
Non horret temerare iura mollis
Naturæ; Patris ora nec veretur;
Nec curæ eſt amor inſitus medullis.
Quod marmor ſolidum, quæ iaſpis equat
Tantam duritiem indolis furentis!
Credite: hic lapis æmulatur illam,
Non illa eſt lapidem æmulata durum.

SILENVS BACCHI NVTRITIVS cum Baccho.

In eadem Villa.

EPIGR. CLXXII.

QVis vultu hic ſenior, rugoſa & fronte? quis ille,
Qui propè ſtat niueo blandulus ore puer?
Alter Silenus, Semeles puer alter Iacchus:
Nutritor nempè hic, hic ſed alumnus erat.
Vtrumque ars mirè finxit: ſed fabula mendax
Quàm malè diſtribuit munus vtrique ſuum.
Sileni Bacchus nutritor debuit eſſe:
Namque merum lac eſt, credite, dulce ſenum.

PVGIL in eadem Villa.

EPIGR. CLXXIII.

QVem cernis Pugilem, priſca ætas edidit olim;
Pulchrius artificum nil poliere manus.
Stet velut in media bellator fortis arenà,
Armigerà terres dextrà, oculiſque ferit.

Pro

Pro clypeo vis eſt ardens in pectore nudo:
Immite & ferrum brachia nuda rotant.
Non agilem motum immotus lapis abſtulit: ictus
Deſtinat, & cautè ludere penè vides.
Da vulgi plauſus, ſpiſſi voceſque theatri:
Hic Pugil in ficto marmore verus erit.

CORIOLANVS, occurrente Matre.

In eadem Burgheſiana Villa.

EPIGR. CLXXIV.

STrinxerat in Patriam Dux implacabilis arma,
Iamque minis ardens Romula tecta ſubit.
Non tulit hoc Nati Mater generoſa rebellis
Conſilium: it vultu ſupplice, nuda ſinum.
Irrumpitque acies: Quò te furor, inquit, adegit?
Non Patriæ flectit triſte ſupercilium?
Supplex te ſaltem Genitrix, hæc pectora nuda,
Nuda hæc te moueant vbera, ſiſte gradum.
Nec mora: bellatrix deferbuit ira: phalanges
Mollijt æratas lachrima fuſa genis.
Quid mirum, Matrem Sobolem flexiſſe? videntur
Flecti nunc etiam hæc marmora dura prece.

SEPTEM GRAECIAE SAPIENTES.

Apud Principem Iuſtinianum.

Thales Mileſius I.

EPIGR. CLXXV.

ANte alios meritus Sapientis nobile nomen,
Graiugenùm fuit hic gloria prima, Thales.
Hinc aurata tripos pelago expiſcata, Thaleti
Fatiloquo intonſi Numinis ore datur,
Vt frontem agnoſcas, hoc marmor cerne: Thaletem
At reliquum vigil ars fingere nulla poteſt.

SOLON

SOLON Athenienſium Legislator, II. Græciæ Sapiens.

EPIGR. CLXXVI.

HIc Pandionijs leges emollit Athenis,
Quas tuleras ſcriptas ſanguine, Dire Draco.
Quem latuit nomen, virtus & clara Solonis?
Teſtis, vt imbueret pectora, Cręſus erat.
Voce olim docuit facundus: marmore in iſto
Vis arcana mouet nunc, tacituſque monet.

CHILO III. Græciæ Sapiens.

EPIGR. CLXXVII.

SPartanus Chilon Sapientum nomina adauget;
Et tantum mores commeruere decus.
Illius hæc olim vox publica: Noſce teipſum.
Hanc etiam Vates Delphicus ore probat.
Quę vultus animant ſpirantia marmora, dictis
Nunc pondus, Chilon, dant pretiumque tuis.

PITTACVS IV. Gręciæ Sapiens.

EPIGR. CLXXVIII.

LEsbius haud inter Sapientes vltimus hic eſt,
Pittacus, & Marte, & feruidus ingenio.
Expulit hic durum Lesboa è Sede Tyrannum,
Eximit & rigido libera colla iugo.
Reſpuit & Patriæ faſces: fregiſſe Tyrannum,
Magnum eſt: hoc maius, nolle præeſſe ſuis.

BIAS PRIANAEVS V. Gręcię Sapiens.

EPIGR. CLXXIX.

MEnte Bias acer Patriam tutatur; at inſtat
Dum clades, fugiens fert ſua quiſque bona.
Nil tulit ipſe Bias: leuis it; tamen ore diſerto
Noſtra, inquit, bona in hoc pectore cuncta fero.
Grandi nempè viro virtus eſt tota ſupellex:
Qui tulit hanc ſecum, credite, cuncta tulit.

CLEO-

CLEOBVLVS VI. Græciæ Sapiens.

EPIGR. CLXXX.

EXimius forma, membrorum & robore fortis,
Septem-vir Sapiens hic Cleobulus erat,
Ingenium, mentemque illi Pharos erudit: artes
Diſcit, quas Nilus, doctaque Memphis alit.
Debuit hoc illi ſimulacrum nobile poni;
Icon virtutis nam fuit ipſe prius.

PERIANDER VII. Græciæ Sapiens.

EPIGR. CLXXXI.

ET Rex, & Sapiens Periander: iuſta Corinthū
Sceptra regunt; famam Græcia tota colit.
Illius hoc dictum: Fræna iram; ſæpè videmus
In rabidas homines irà abijſſe feras.
Conatus Sculptor Periandrum animare: ſuperſtes
Eſſe ſed in Pario marmore vita nequit.

Duodecim Romani Cæſares.

Apud eundem Principem Iuſtinianum.

C. AIVS CAESAR I.

EPIGR. CLXXXII.

ASpice quid reliquum nunc eſt de Cæſare tãto;
Scilicet effigies marmore ſculpta breui.
Fulmineis Aquilis hic terret, & edomat Orbem,
Indomitus crudo Marte, labore, ſiti.
Non illum fregere hyemes, non torridus axis,
Non fortuna truci fronte, nec arma Ducum.
At qui tot gentes prædura compede vinxit,
Nexibus implicuit te quoque, Roma, ſuis.
Ille ſuas inter palmas, captiuaque Regna
Te numerat; Sobolem credis, & hoſtis erat.

AVGV-

AVGVSTVS CAESAR II.
EPIGR. CLXXXIII.

AVguſto huic nomen: præclaro nomine dignus.
Scilicet Auguſtus moribus ille fuit.
Virtutem, Romamque ornat, lateresque recoctos
Mutat, & in Phrygium marmor abire iubet.
Hoſtes debellat, truculenta & bella; bifrontis
Et Iani claudit duro adamante fores.
Hinc Paci ſua templa patent, Phœboque biuertex
Muſarumque churo collis & ipſe patet.
Exulet at ferrum, Auguſte, & fera bella Gradiui;
Aurea non facies tempora pace tua.
Qui Deus at terris, te Principe, naſcitur infans,
Pauper & in cunis lachrymat, ille facit.

TIBERIVS CAESAR III.
EPIGR. CLXXXIV.

INgens monſtrū Aulæ, monſtrumq; libidinis hic
Sæuitiæ & monſtrum, prodigiumq;gulæ. (eſt,
Quantum hauſit Bacchi quincuncibus, hauſit
Tantundem ingenui ſanguinis ira ferox.
Scilicet, inceſtis dum flagrat amoribus, odit
Penè nouercali pectore Romulidas.
Lethiferum capita it ferrum per ſumma, per ima:
Cæſaris hic luſus, deliciumque fuit.
Tot tandem ſcelerum puduit: renuitque videri
Improbus: hinc Capreis delituiſſe iuuat.

C. CALIGVLA IV. CAESAR.
EPIGR. CLXXXV.

ORe ferox Caius, vultuque teterrimus, ipſa
Moribus implacidis aſperat ora magis.
Fœda Venus nulli parcit, temeratque Sorores;
Nuptas, innuptas æqua libido rapit.
Par guſtu rabies: non fercula mille Charybdim
Exſatiant: vaſto gutture Regna vorat.

Ingluuiem ſequiturque ſitis veſana cruoris :
Sæpè mero, ſemper ſanguine nempè madet.
Eſſet vt vna Vrbi ceruix optabat, vt vno
Concideret facili vulnere tota ſimul.
Marmore in hoc cœpit fingi fera bellua; exit
Ex inopinato Càius iſte ferox.

TIT. CLAVDIVS CAESAR V.

EPIGR. CLXXXVI.

PAr ſpecie Imperio, viſus meruiſſe Curulem
Claudius ; at mendax frons, ſpecieſque fuit.
Dum trepidus latitat, rapiunt ad Romula ſceptra ;
Et religant profugas ſerta Latina comas.
Degeneres patuere animi : vix nomine Cæſar;
Nam trabea indutus diuite, ſeruus erat.
Libertis ſiquidem, Libertiniſque regenda
Fræna dat Imperij ſplendida, fræna ſui.
Ipſe mero, Venerique vacat : pro pellice Coniux,
Pellex illi pro Coniuge fęda fuit.
Cœdibus haud parcit; dirè obtruncatque Senatum :
Triſtia ſed complet funera cęde ſua.
Quis credat ? cogor iam non odiſſe venena,
Quæ meritæ ſæua hæc monſtra dedere neci.
Interea inſculpto, rigidoq; hoc marmore Bacchus
Non calet ille fibris, friget & illa Venus.

NERO CLAVDIVS CAESAR VI.

EPIGR. CLXXXVII.

QVis ſit Getulo ſpirat qui marmore Cæſar,
Trux vultu, toruus lumina, ſcire cupis ?
Finge tibi cęſam Matrem, cęſumque Magiſtrum,
Fumantem Romam cędibus, igne fora :
Nulla mora : hoc illud monſtrum illętabile dices,
Illa lues hominum, ferreus ille Nero.
Duritie certare ſuo cum marmore, ſi vult ;
Audiet hoc marmor dicere ; Cede, Nero.

SER-

SERGIVS SVLPICIVS GALBA Cæſar VII.

EPIGR. CLXXXVIII.

REſpirare datur Romæ poſt fata Neronis :
  Principe nam Galbà, non redit ille Nero.
Imperio ſenium, & fractum Galba attulit æuum :
  Hinc illi ingenium mite, nec ira grauis.
Et graue quod pondus feſſis ceruicibus impar ;
  Non potuit molem ſuſtinuiſſe diù.
Menſes vix ſenos tenet Vrbis ſceptra, coactus
  Romulidum faſtos cęde notare ſua.
Marmore nunc viuit, non regnat : reddere vitam
  Qui potuit, ſceptrum reddere non potuit.

M. SALVIVS OTHO Cæſar VIII.

EPIGR. CLXXXIX.

LAudatæ vir Otho virtutis debuit eſſe ;
  Aſſecla ſanguinei nempè Neronis erat.
Quemque afflat vicina lues; & corpora ſemper
  Inficit attactu vipera dira ſuo.
At breuis hic Cæſar; ternos diademate menſes
  Vix menſus, vita functus, & imperio eſt.
Qui Galbam cędit violento funere, & ipſe
  Ad Galbæ Manes victima cęſa cadit.
Cernis? & huic ſaxo inflixit vulnera tempus ;
  Ceu ſtatuam pariter fecerit ipſe ream.

VITELLIVS CAESAR IX.

EPIGR. CXC.

NVtritus Capreis fęda inter ſcorta Neronis ;
  Hinc Cæſar mores ebibit iſte ſuos.
Princeps cura merum fuit illi, vnctæque popinæ ;
  Nunquam non auido gutture ſemper edax.

Par & in inceſto Venus ardet pectore : nuſquam
Tuta nurus : tectis nil latuiſſe iuuat .
Ebullit rabie, immanique Vitellius irâ :
Ipſa truces ſpirant ora cruenta neces .
Improbus at calidũm quem ſorbuit ipſe cruorem ,
Haud vno exhauſtus vulnere, mox vomuit.
Raptatus ſiquidem laqueo, manibuſque reuinctus ,
Diſcerptus iacuit fabula dira fori .
Quem vellent potiùs lapidare : hæc illius ora
Inuiſa ad viuum fingere, ſaxa pudet .

T. VESPASIANVS CAESAR X.

EPIGR. CXCI.

FLauia Gens Orbẽ dedit huic frænare Latinũ :
Experrecta illi mens, animuſque ſagax .
Per pacis, bellique gradus ad culmina rerum
Euolat; eſtque foras impiger, eſtque domi .
Molibus Imperium, cultis & moribus ornat :
Indole & hinc Domini,hinc marmore Roma ni-
Nec moriens ſegnis iacuit: ſupremaq; verba (tet.
Hæc illi: ſtantem, Principis eſſe, mori .
Aſpicis hanc ſtatuam ? voluit ſic marmore fingi ,
Vt ſtaret : nunquam & ſe iacuiſſe docet.

TITVS CAESAR XI.

EPIGR. CXCII.

HIc Titus ille,hic deliciũ eſt & amabile mũdi:
Nẽpè illũ hoc pulchro nomine Roma vocat.
Vni trux Solymæ : immiſſis legionibus, æquat
Ardua Romano fulmine tecta ſolo .
Graſſatur ferrum, graſſatur & obice nullo
Dira fames, vaſta & funera vtrinque vides.
Pignora ieiunis quid crudeli ore vorata
Matribus ? & natis corpora cœſa Patrum ?
Quis credet, ſtragem Gentis, cędeſque peractas
Cæſare tam miti ? quique erat Orbis amor ?
Vos

Vos illum, Iſacidæ, armaſtis: qui pectora, fodit
Numinis, ille chalybs efferat, ille Titum.

T. FLAVIVS DOMITIANVS Cæſar XII.

EPIGR. CXCIII.

POſt fratris, poſt ſceptra Patris capit Orbis habe-
Degener hic Frater, diſſimiliſq; Patri. (nas
Flore æui vitijs virtus immixta refulſit:
Sed mox a vitijs pellitur illa loco.
Martia vis animo an fuerit, forti Hercule digna,
Aſſiduis palmis muſca ſubacta docet.
Scilicet, inuicti tendunt huc Cæſaris arma,
Muſcarum vt victor pulchra trophæa ferat.
Altiùs aſſurgit ſed mox generoſior Heros,
Et feriunt ſummos fulmina torta viros.
Demetit Auguſtum miſeranda ſtrage Senatum:
Indole magnanima qui nitet, ille reus.
Quin dira exagitat doctam Cenſura Mineruam,
Nimirum Sapiens exulet Vrbe, iubet.
Palladis hinc læſæ metuendam prouocat haſtam;
Et coniurato cęſus ab hoſte cadit.
Fingeret vt ſtatuam, quærenda haud ſaxa fuere
Artifici: ipſe ſilex aſpera Cæſar erat.

MINERVAE CELEBRE ROMAE ſimulacrum.

Apud eundem Principem Iuſtinianum.

EPIGR. CXCIV.

NE clypeus, Graiæ ne terreat haſta Mineruæ,
Et quæ terrifico vertice criſta vibrat.
Martia ſit quamuis ſpecies; eſt mitius illi
Ingenium; Aegiſonæ fallit imago Deæ.

Inuentrix oleæ, pulchræ dat ſymbola pacis;
Eſt & Olympiaci pura medulla Iouis.
Excitat hæc ſtudia, egregias hæc expolit artes:
Hæc fouet ingenia, hinc ora diſerta fluunt.
Scitè illã hoc marmor fingit: nempè ipſa Minerua
Vel ſaxa edura hæc ingenioſa facit.

VNA EX VESTALIBVS.
Apud eundem.

EPIGR. CXCV.

CIrcumuelatam tenui quam cernis amictu,
Olim Veſtalis iam fuit vna Chori.
Candida mens, niueum pectus, mens innuba & illi,
Atque maritalis neſcia Virgo thori.
Veſtæ addicta Sacris; curare altaria flammis
Aeternis, illi hoc iuge miniſterium.
Muneris hæc merces: poſtqnam cuſtodijt ignem
Caſta diù, hoc gelido in marmore Virgo riget.

CERES, opus laudatiſſimum.
Apud eundem Principem.

EPIGR. CXCVI.

FRuge coronatam Eleuſinam agnoſcite Matrē:
Illam falcitenens indicat ipſa manus.
Quà prona hæc hominū genti! queis, glande relicta,
Meſſe dedit longè nobiliore frui.
Aſpera cornigeros hęc miſit ſub iuga tauros,
Ruſtica vt aſſiduus frangeret arua labor.
Excitat & terram præduro vomere; ſulcos
Curuaque frugiferos edere aratra docet.
Frigoris hæc duri patiens, hæc torrida ab æſtu,
Et ſerit, immiſsà ruraque falce metit.
Pendimus at grates: frugum & pro munere tanto
Culta tibi, alma Ceres, hæc ſimulacra damus,

Nam

Nam quia rapta olim quærens tua pignora, laſſa es;
Hoc erit immoto in marmore grata quies.

LEDA CVM CYCNO.
Apud eundem.

EPIGR. CXCVII.

QVæ formoſa nurus Pario hoc in marmore ſpi- (rat,
Fulmineo Leda eſt illa adamata *Ioui*.
Te docet hoc, niueum quæ ſtringit dextera olorem;
Nanque olor hic niueus Iuppiter ille fuit.
Extat ab hoc thalamo Soboles: Cycnoque marito,
Hinc Helenæ fratres, naſcitur hinc Helena.
Viuit vt hic Pellex; viuit ſic Cycnus & ipſe:
Attamen haud cantat, nec volat ille ſinu.
Cur hæc? nempè ſilet, cantus ne vulget amores;
Delicioſus amor nec ſinit ire ſinu.

APOLLO apud eundem Principem.

EPIGR: CXCVIII.

LAuriger hic Phœbus, citharæ qui rector eburnę,
Iura dat Aonidum per ſua plectra choro.
Muſæ inflant lituum; Muſæ fila aurea pectunt;
At lituis Phœbus dat, fidibuſque modos.
Dic age, cùm ſemper Muſæ comitentur euntem,
Cur, Phœbe, in niueo hoc marmore ſolus agis?
Numine an exuto, verſum te in marmor, & artes
Pierias Phœbum deſeruiſſe putant?
Errant: ſic nam docta manus te marmore finxit;
Nunc etiam vt moueas barbiton, ore canas.

HARPOCRATES SILENTII DEVS.
Apud eundem.

EPIGR. CXCIX.

HIc tacet, hic linguas compeſcit lege tacendi;
Harpocrates inter Numina nomen habet.

Imprimit en labijs digitum : fræna inijcit ori ;
Scilicet, hoc pulchrum, conticuiſſe, monet.
Hinc cunctis placeat cũ ſculpta hæc marmore ima(g
Harpocratis, ſoli diſplicet Arpocrati.
Concipit hęc viua effigies nam verba, loquendo;
Muta ſed Arpocrati gratior ipſa foret.

MATRIS NATVRAE ſimulacrum, *Apud eundem Principem.*

EPIGR. CC.

SI cupis altricem, Matremq; agnoſcere rerum
Hoc oculos viuo in marmore fige tuos.
Aſpicis in vultu Matrem; ſpiratque per ora.
Qui calet in tenero pectore blandus amor.
Vbera mille ſinu pendent : nam copia lactis
Haud vno venà diuite fonte cadit.
Hinc alimur : vitrei piſces, pictæque volucres,
Trux leo, torti angues hinc alimenta petunt.
Aſpicis & fruges, & roſcida poma ? ter ampla
Has tibi delicias porrigit illa manu.
Fallitur hic Sculptor : non hoc in marmore duro
Tam mollis fingi debuit iſta Parens.

TABVLAE MARMOREAE, in quibus Romanorum bella. *Apud eundem Principem Iuſtinianum.*

EPIGR. CCI.

CErnis in his tabulis, rigidũ efferueſcere marmor,
Et ſaxa inſculpto Marte flagrare truci.
Romulidæ exertis pugnant hic enſibus: hoſtis
Stat contrà : iugulum dantque; petuntque ſimul.
Miſcet cuncta furor; qui cœdit, cęditur : acri
Et nece confuſà, qui ferit, ille cadit.

Pectus

Pectus nanque vrget pectus: nec fertur in vnum
Vnus, diſtincto aut vulnere pugna calet;
Verùm acies aciem tranſuerberat enſe: ruuntque
Confoſſa agminibus agmina tota ſimul.
At, quot Marte cadũt, tot corpora ab arte reſurgũt:
Mars perimit, docta ars ſed rediuiua facit.
Priſcum opus, & mirum: ſtant hic nam fędere raro
Ingenio Artificis vita, neceſque ſimul.

Muſarum Chorus in Muſæo Franciſci Gualdi Ariminenſis.

CALLIOPES STATVA.

EPIGR. CCII.

Nobile Muſarum ducit prænobilis agmen,
Calliope, grandi pectine, & ore prior.
Afflat nempè furor: correpta & Apolline ſacro,
Concinit Heroas, fortia & arma Ducum.
Hic modò reſpirat, vocem reparatque tacendo:
Quamuis nec ficto in marmore muta tacet.

MELPOMENE.

EPIGR. CCIII.

HÆc Heliconiadum non vltima Muſa Sororũ;
Melpomene, vultu triſtior, ore grauis.
Pulpita nam tragico pulſat violenta cothurno,
Magnorum & ducit funera, ſciſſa comas.
Nunc verſa in marmor: nequeat quòd męſta dolere,
Hoc dolet: hinc odit marmor & ipſa ſuum.

THALIA.

EPIGR. CCIV.

A Tenui agnoſcis ſocco, vultuque Thaliam;
Cui faciles lepido ſemper in ore ſales.
Exhilarat dictis ſcenam: tum carpit acuto
Ridentem caueam dente, iocoque leui.
Ludit, non lędit: ſed nunc non illa Thalia eſt;
Marmore & in muto conticuere Sales.

C L I O.

E P I G R. C C V.

CLio iure vocor: decorat me hoc Græcia doct:
Nomine: pulchra comes gloria ſæpè mihi eſt
Nam dum geſta Ducum Faſtis ſtylus inſerit; illa
Excipit æterno gloria prona ſinu.
Hanc ſtatuam poſuere mihi, quæ grata viciſſim
Temporis annales excito pro ſtatuis.

E R A T O.

E P I G R. C C V I.

ME genius teneris addixit amoribus: inde
Dulce mihi placidi nomen amoris ineſt.
Qui Paphiæ Matris, pangitque Cupidinis artes;
Plectri à me leges accipit ille ſui.
Innuba ſed Virgo pulchro tantum ſigne calefco:
Cætera: ſum niueo hoc marmore frigidior.

T E R P S I C O R E.

E P I G R. C C V I I.

PHocidos hęc dulcis Cithariſtria; nempè canoras
Hæc chordas numeris temperat vna ſuis.
Terpſicorem dicunt: humana huc pectora, & illuc,
Quò velit, armonico pectine docta trahit.
Orpheus hinc didicit rupes animare: quod autem
Phidiacum hìc ſaxum palpitat, ipſa animat.

E V T E R P E.

E P I G R. C C V I I I.

EVterpe Muſas inter tibicina, doctè
Multiforem buxum, nobile & inflat ebur.
Pectore virgineo trahitur ſpirabilis aura:
Hinc calami, curua hinc tibia dulcè canit.
Nunc queritur, quod nulla manu ſit fiſtula: namque
Marmore quæ ſpirat, buxum animare poteſt.

POLY-

POLYHYMNIA:

EPIGR. CCIX.

SOrbuit hæc fontem tòtum Permiſſidis vndæ;
 Et faciles numeri diuite ab ore fluunt.
Dicitur hinc meritò Polyhymnia, nomen & æquat
 Inclyta multiplici carmine Muſa ſuum.
At qui te finxit, numeroſa Polymnia, ſaxo;
 Promeruit venà hac vberiore cani.

VRANIE.

EPIGR. CCX.

VRanie bifido Parnaſſo celſior, ima
 Contemnens, ſtatuit Cælo Helicona ſuum;
Hic cum Sole habitat, rutilis miſcetur & aſtris,
 Numina & æthereo pectine ſumma canit.
Te docet Vranie, Vates, cane pulchra, Deumque;
 Quæque inter fulget ſydera, ſume lyram.

APOLLO.

EPIGR. CCXI.

AGmen Pierium claudit crinitus Apollo;
 Rex citharæ, rector Virgineique chori.
Temperat hic numeros, hic inſpiratque calorem
 Mentibus, hic digitos eloqui, & ora docet.
Olim magnus eras Rhodio tu, Phœbe, coloſſo:
 Nunc non in paruo hoc marmore paruus eris.

LINI STATVA:

In eodem Gualdi Muſæo.

EPIGR. CCXII.

PHębęæ Fidicen citharæ, Phębique Sacerdos,
 Et Soboles, hic eſt inclytus ille Linus.
Edidit Vranie, ſtellis quæ præſidet: illa
 Hoc voluit, Cælo hic alter vt eſſet olor;
Alcides diro perimit te vulnere: viues
 Tu, Line, & inuita morte, perennis eris.

MVSAEI STATVA.

In eodem Muſæo.

EPIGR. CCXIII.

MVſæus princeps Parnaſſi gloria, Vates
Aeuoque, & muſà nobiliore præit.
Eximius plectro Leandri pangit, & Erus,
Pectore Acidaliæ quæ caluere faces.
Fortè olim cantu Muſas, citharaque laceſſit,
Vicit & Aonias voce, lyraque Deas.
A victis Muſis Muſæo hinc nomen, vt olim
Deuicta ex Africa Scipio nomen habet.

ANACREON LYRICVS.

In eodem Gualdi Muſæo:

EPIGR. CCXIV.

QVæ viuit chartis, etiam hoc in marmore viuit,
Et viuet Lyrici Teia muſa Senis.
Facundus Vates: ſed mollia carmina melle
Perfudit nimio delicioſa Venus.
Contigit huic meritum fatum: nam gutture prenſo,
Vinoſum Vatem penſilis vua necat.

SAPPHO POETRIA.

In eodem Muſæo.

EPIGR. CCXV.

IT Lyricos inter facunda Poetria vates,
Aureolas viridi Daphnide vincta comas.
Fęminei vultus illi; at vis maſcula plectro:
Dum Musâ eſſe putas pectine, Phębus erat.
Quid numeris inferre nouis noua plectra bicorni
Parnaſſo, aptare & Sapphica metra Lyræ?
At mutum hoc, Sappho, ſaxum non debuit eſſe;
Hæc igitur niueo in marmore Muſa notet.

Magnum

Magnum eſt, facundo nomen dare carmina Vati;
Sed dare carminibus nomina, maius opus.

ENNII STATVA AD SEPVLCRVM Scipionum via Appia.

EPIGR. CCXVI.

SCipiadum ad cineres inſculptā marmore viuo
Vatis Apollinei cernitis effigiem?
Ennius hic Rhudius, vultu, niueaque verendus
Canicie, Aonidum gloria, amorque chori.
Heroas cecinit, magnorum & facta Quiritum;
Creuit & eximio à Vate Latinus honor.
Scipiadum illuſtres Animæ, quèis gloria curæ,
Vel fictum ad cineres hunc voluere ſuos.
Hoc præſente, putant reuireſcere nomina: quodque
Mors delet, muſis hunc reparare ſuis.

PAPYRII PRAETEXTATI Statua.

In Hortis Exquilÿs.

EPIGR. CCVII.

SAt tua Romulidis nota eſt Prætexta, Papyri,
Qui Prętextati nobile nomen habes.
Nempè puer, primaque æui florentis in herba,
Diſſimulans loqueris, diſſimulaſque loquens.
Inde Nurus Latias dum, mendax ſplendidè, ludis,
Prętextam laudant, itque per ora virûm.
Sic, Prętextate, haud vnquam tua fama ſeneſcet:
Cum prætextà ætas florida nempè viret.

SEXTI TARQVINII STATVA.

In ÿſdem Hortis.

EPIGR. CCVIII.

ABdita quà telas variat Lucretia pictas,
Inſilit impauido Sextus amore duce.

Illa

Illa horret: niueis luctatur dura lacertis:
Vi tamen, & Iuuenis robore vicit amor.
Sexte, ſcelus patras, nulliſque piabile crimen
Snpplicijs: probrum par tibi pęna tuum.
Nunc rigidum es marmor; cęcumq;Cupidinis ignē
Improbus in gelido marmore iure luis.

MARCI TVLLII CICERONIS Caput.

In ijſdem Hortis Exquilijs.

EPIGR. CCXIX.

HOc ſupereſt Tullj,caput inſuperabile nempè;
Tullius at ſupereſt totus in hoc capite.
Mens acris rigidà ſpectatur fronte; grauique
Infractus clarè lucet in ore vigor.
Nunc tacet inuitus: vellet Patriæque tuendæ
Hoc iterum pulchrà morte vouere caput.
Crede:fuit quondam Arpinas Iouis ęmulus:ingens
Scilicet armauit Pallas vtrumque caput.

DEMOSTHENIS SIMVLACRVM,

In eiſdem Hortis.

EPIGR. CCXX.

MArmore in hoc viuo tacuit facundia: in vno
Muta ore, hic tandem Græcia tota ſilet.
Hic ille eloquij Princeps, cui ſederat ore
Pitho, & Cecropijs Suada diſerta labris.
Par fuit atque Ioui: tonitru nam terret vterque:
Flexanimà hic linguà fulminat, ille manu.
Non Macedum Regem pro libertate Philippum,
Agmina non centum vox generoſa timet.
Nam dum lingua ardet dicendo; ardere videntur
Mille acies: vnus bellica caſtra facit,

At

At potuit Sculptor vultus animare; ſed ori
Et tonitru, & fulmen reddere non potuit.

DEMOCRITVS ABDERITA.

In iiſdem Hortis Exquiliis.

EPIGR. CCXXI.

VIx tenet in ſaxo riſum Democritus ille,
Omnia cui riſu digna fuere leui.
Serior at ſtudiis: nam quæ Ioue nata Minerua eſt;
In'Caput immenſum tranſtulit ipſe ſuum.
Naturam explorat, rerum & penetrabile cauſas
Ingenium; arcana & ſydera mente ſubit.
Vis animæ ſiquidem non vna explebilis arte,
Viſa omnes vaſto continuiſſe ſinu.
Quid ſpontè exſculpſiſſe oculos, frontique tenebras
Induxiſſe, vt mens clarior inde foret?
Quam benè multiplicas mundos, Democrite! tanto
Ingenio ſiquidem non ſatis vnus erat.

OVIDII NASONIS CAPVT.

Apud Matthæios.

EPIGR. CCXXII.

PEligni en Vatis dignum Parnaſſide lauro,
Et dignum hoc Phrygio marmore dulce caput.
Illius ad teneras non flet Luſcinia cunas:
Nectare at in cunis Muſæ aluere ſuo.
Huic elegi faciles: huic ferbuit aurea Phębi
Vena, Aganippęis pangere docta modis.
Exul Sarmatius, Scythicas quas aſperat oras
Arctos, dulciloquâ mollijt ipſe lyra.
Exuuias tenuere Getæ, cineremque diſertum:
Laurigerum fouet hoc inclyta Roma caput.
Vertice in hoc olim Parnaſſus, Pindus, Apollo,
Phocis, Cyrrha, Helicon, Caſtalis vnda fuit.

HORA-

HORATII FLACCI STATVA.

Apud eoſdem.

EPIGR. CCXXIII.

PIndi Sacerdos, Phębus & Appulus,
Et laureatæ gloriâ Phocidos,
Hic ille Flaccus, quem diſertus
Suadæ Helicon aluit medullâ.
Circumſonantem natus ad Aufidum,
Exceptus vlnis mox fuit Albulæ:
Suſpendit aures & potentum
Romulidùm, Latioſque colles.
Auguſtus, Orbis mole ſuperbior,
Curis ſopitis grandibus, inclytum
Audire Flaccum geſtit, aurum
Pieriæ & citharæ canorum.
Manantis vndæ ſorbuit vngulam
Is nempè totam; germen & omnium
Decerpſit elegantiarum
Aonidum è gremio Sororum.
At culta quamquam conticuit lyra,
Nullumque pulſent marmora barbiton;
Flacci decorum nomen aures
Altiloquis numeris amęnat.

MECOENATIS SIMVLACRVM

Apud eoſdem Matthæios.

EPIGR. CCXXIV.

EDitus Hetruſcis Mecœnas Regibus, æquat
Magnifico Reges ore, animoque ſuos.
Auguſto propior, ſimiliſque eſt indole grandi;
Illius hinc alto dignus amore fuit.
Parnaſſi cultor, non dedignatur amœnas
Muſarum areolas excoluiſſe manu.

Mol-

Molliùs at pectit citharam; nec diſcrepat à ſe:
Et fracti mores, fractaque Muſa fuit.
Phœbęos fouet & Vates: lauro addidit aurum:
Inde tuis, Flacce, eſt verſibus ille nitor.
Sic Heros ſimulacra ſibi facit aurea; nanque
Sculpta ſibi ſaxa hæc inferiora putat.

ZOROASTER.

Apud eoſdem.

EPIGR. CCXXV.

QVis Scythico hic cultu ſenior, mentoq; profun-
Nutibus anne ſuis qui fera Bactra regit? (do?
Rex ſimul, & Sapiens, arcanas miſcuit artes,
Naturæ cœcos ſuetus inire ſinus.
Ore docet grandi, dictatque volumina mille:
Verbis nam pretium, nec leue pondus erat.
Palpitat infanti cerebrum; ceu ferueat acre
Iam tum ſecretis ignibus ingenium.
Hoc maius: qua luce diem, & vitæ ebibit auras,
Lacteolo riſit blandulus ore Puer.
Sunt primæ pueris lachrymæ; cur fulgurat ore
Lætitia hęc præcox; ridet & ille prius?
At nil, quiſquis es, hoc refert: mortalia ſemper
Riſu æquè, & lachrymis digna fuere tuis.

ARISTOTELIS STATVA.

Apud eoſdem.

EPIGR. CCXXVI.

NOn monſtra hæc Libycis oris dedit Africa tel-
Græcia ſed fudit, docto aluitq; ſinu. (lus:
Hic magnis maior, Princeps hic ille Lycèi,
Palladis arcani cui patuere ſinus.
Non Indos petit, vt diſcat, non oſtia Nili:
Non Calaber, non hunc vltima Bactra docent.

Non

Non eget externis: ſibi nanque eſt India, ſuntque
Bactra domi; ipſe ſibi eſt Nilus, & ipſe Pharos.
Dignus Alexander tanto fuit ille Magiſtro;
Dignus Alexandro tuque Magiſter eras.
Magnus vterque fuit; ſceptro hic, & faſcibus Orbis:
Ille ſed auguſti faſcibus ingenij.

P L A T O.

Apud eoſdem.

EPIGR. CCXXVII.

CVi puro mentem Sapientia finxerat auro,
Illius en vultus exprimit iſte lapis.
Agnoſcis latis humeris, an plaque Platonem
Fronte grauem: tota eſt Pallas in ore Viri.
Olim apis Infantem circumuolat Attica; mirè
Eliquat & roſeis roſcida mella labris.
Hinc linguæ nectar: culta hinc facundia, vt ipſe
Cecropio hoc vellet Iuppiter ore loqui.
Seu formet mores, ornet ſeu legibus Vrbes;
Semper in egregio eſt ipſe Platone Plato.

ARCHIMEDES.

Apud eoſdem.

EPIGR. CCXXVIII.

CIrcinus huic dextrà: mutat quadrata rotundis;
Metitur pelagus peruigil, aſtra, ſolum.
Ingenio, facilique manu verſatilis, edit
Mira Siracuſius nobilis iſte Senex.
Dædaleis Latios hinc ludit molibus hoſtes:
Claſſis & hinc ſubitis ignibus vſta flagrat.
Quid noua in exiguo cæleſtia corpora vitro
Suſpendiſſe? Axes quid pepigiſſe nouos?
Alternat Sol ipſe vices; ſua cornua Phœbe
Hic reparat: volucri ſydera euntque fugà.

Magne

Magne Senex, ſtudijs nimiùm dum fixus inhæres;
Immeritum miles meſſuit enſe caput.
Tu reparas vitam ſpiranti hoc marmore: nobis
Artes ingenij non rediere tui.

ARCHITAE SIMVLACRVM.
Apud eoſdem.

EPIGR. CCXXIX.

QVi terras, tractuſque maris metitur, & aſtra;
Climata qui mundi ſummaque, & ima ſecat;
Inclytus hic ille Architas, quem molle Tarentum,
An dedit è gremio docta Minerua ſuo?
Sectatur Samium, facundum auditque Platonem,
Pectore grandiloquo par & vtrique fuit.
Eſt arguta manus: mirà noua perficit arte
Argumenta artis mens operoſa Viri.
Non pennis librata ſuis, ſed mobilis arte,
Aera per liquidum ficta columba volat.
Scilicet Architas volucrem dat pondere motum,
Arcana & moles, quę grauat, illa leuat.
Ingenio artifici ſimiles ſibi condidit alas,
Et volat Architæ fama per ora virùm.

THEODOSII SENIORIS STATVA.
Apud Veroſpios.

EPIGR. CCXXX.

CHriſtiadum hic columen, ſtabilis fideiq; colūnā,
Orbis, & immotæ relligionis Atlas.
Eſt pius, eſt acer: reddit ſua iura Tonanti;
Turbida ſi poſcant tempora, & ipſe tonat.
Fulmnea haud terret Labaris Iouis Ales, at ipſe
Bellatrix Aquila, & tortile fulmen erat.
Aſpectu exarmat, regali & fronte rebelles;
Perfidia & dominos lambere viſa pedes.

Eugenij hinc dirum caput à ceruice reuulſum;
Illius &, Cęlo vindice, fuſæ acies.
Belligeri ſiquidem pugnant pro Cæſare venti,
Æther & effractis nubibus arma vibrat.
Non æquant meritum ſimulacra hæc ardua; nulla
Cernimus hic forti parta trophæa manu.
Par erat, vt ſtaret nempè hic captiua Tyrannis,
Et triſti impietas ore reuincta manus.

PVLCHERIA AVGVSTA.

Apud eoſdem.

EPIGR. CLXXXI.

SOror Tonantis Cæſaris, Parenſque,
Fraterna ſceptra, Orbiſque iura frænas,
Et fingis indolem, pioſque mores.
Tu nanque natu grandior iuuentam
Ornas acerbam Fratris, imbuiſque
Regale pectus, viuidamque mentem
Cultu ſacrorum, Numiniſque magni,
Tu pacis artes, tu doces Gradiui,
Bellique ſæui temperare motus.
Regnare diſcit Cæſar: eſt domique,
Foriſque fortis: Ciuibus modeſtus,
Sed acer hoſtibus; libram miniſtrat,
Et iura gentibus manu irretorta.
At liuor ardet: nemini diſertè,
Mordax doloſo parcit Aula dente:
Ergo libens, volenſque cedis aulà,
Tecumque morum ſanctitas, nitorque
Abſcedit: at ſtatim redis, reditque
Lux alma tecum, pax, ſerenitaſque,
Suoque liuor ſe necat veneno.
Velata crines puriore flammà
Auguſta, Cælo nunc micas, & ora
Effica ſaxo, temnis: at verendæ
Pulcheriæ nos indolem, fidemque

Docet

Docet diſertum marmor, indicatque:
Nam voce marmor hoc loqui videtur.

M. CVRIVS DENTATVS.

Apud Strozzios.

EPIGR. CCXXXII.

FRugalis cultu Curius, ſed pectore fortis:
Pauper nanque domi eſt, fnlmineuſque foris.
Samnites ſternit ferro; nec ſternitur auro;
Gentis bis victor bina trophæa refert.
Namque ſupercilio largum dum reſpuit aurum
Hoſtem iterum abſque armis hoc ſuperaſſe fuit.
Indole & hac vicit Pyrrhum, & tela aurea Pyrrhi,
Qui Rege, & Regis munere maior erat.
Hoc tibi vile, Curi, marmor. Qui reſpuis aurum,
Aurea quàm meritò te ſimulacra decent.

BELISARII STATVA,

Apud eoſdem.

EPIGR. CCXXXIII.

DEbuit haud vnum, Beliſari, ponere ſignum
Egregijs factis martia Roma tuis.
Scilicet haud vnum proſternis Marte ſecundo
Hoſtem Romulidum: palma nec vna tua eſt.
Arſacidas fundis: Gilimerem compede vinctum,
Regem nempè ſuum, Vandalus ipſe videt.
Immanes dant terga Gothi, Vitige ſubacto;
Vandalus atque iterum dat ſua colla iugo.
Liuor at indomitus poſt tot fera bella triumphat:
Tu, Dux magne, foras vincis, at ille domi.
Cæſaris hinc cęcus furor: hinc iniuria frontis,
Atque erepta oculis lux, roſeuſque dies.
Hinc tuus ille obolus: pretium tot nempè laborum,
Et tot bellorum præmia ſunt obolus.
Fortunæ interea, Beliſari, & mobilis Aulæ
Exemplum in ſolido hoc marmore ſemper eris.

TITI LIVII STATVA.

Apud eoſdem.

EPIGR. CCXXXIV.

NOn opus Artifici cælum limare, vel artem,
Vt viuo ſculptum hoc ore loquatur opus.
Quem ſiquidem fingit, Scriptor ſic ille diſertus,
Cogat vt inſculptus ſaxa vel ipſa loqui.
Nimirum Euganeis hic Liuius editus oris,
Aurea quem fandi vena, ſtyluſque beant.
Hunc Celta, hũc Cymber, gelidaq; Britãnus ab Arcto,
De vultu vt noſcant, Itala Regna petunt.
Quæ ſibi Romulidæ peperere trophæa, diſertè
Scribendo, ſua iam Liuius illa facit.
Hinc ſi magnanimi meruerunt ſigna Quirites;
Iure etiam hæc, Liui, ſtant ſimulacra tibi.

LVCRETII STATVA apud eoſdem.

EPIGR. CCXXXV.

HAnc Statuã excipiat Muſæum grãde, Lucreti:
Eſt celebri effigies hæc tua digna loco;
Nobilitas vultu marmor, ſpecieque verenda,
Famàque, & venà nobilis ingenij.
Tu miras Naturæ artes, impenetrabile pandis
Illius & pectus carmine nempè tuo.
Illi tu certas: quicquid nam dædala fundit
Ipſa ſinu, plectro nobiliore canis.
Debes Naturæ ingenium: at quòd ſedulus ornes
Naturam ingenio, debet & illa tibi.

L. ANNAEI LVCANI ſimulacrum.

Apud eoſdem Strozzios.

EPIGR. CCXXXVI.

ROmanas Aquilas per mutua vulnera cœſas;
Horrifico vidit Theſſala arena metu.

Hic

Hìc tonuit Mauors: tonuere hic agmina mille,
Hìc iugulum petere, hic & dare mille Duces.
Tu cultà, Lucane, canis, bella aſpera Musà;
Cogis & Aonidum belligerare chorum.
Hic vbi ſanguineos vidit Pharſalia fluctus,
Cernitur irriguo Caſtalis vnda pede.
Plectra canunt, lituus quà Martē accenderat acer;
Atque agitat melior pectora docta furor.
Te, geminat palmam Cæſar, Lucane, canente:
Fit Genero clades, teque canente, minor.
Te ſtatua hæc decorat: longè ſed pulchrior illa;
Quam tibi molitur Calliopęa tua.

LVCVLLI STATVA.

Apud Cornelios.

EPIGR. CCXXXVII.

LVcullus olim ſtrenuus, ſagata
Virtute fortis, martiaque fronte,
Hoſtes Latini nominis cruento
Mauorte fuſos, faſcibus Quirini
Subeſſe cogit inclytis, iugoque.
Hinc, Rege fracto, Ponticus triumphus;
Diſcerptus & hinc vnguibus Latinæ
Magnæ Alitis ſuperbior Tigranes.
Poſt dura bella, & anxios labores
Lucullus ille, moribus nec ille,
Fregiſſe robuſtam indolem videtur.
Hinc mollis, elegans, auro renidet,
Luxuque fulget Attalis ſuperbum
Spartano & oſtro fulgurat lacunar.
Millena menſis fercula, & Sicano
Inſtructa guſtu; & vltimis petitæ.
Colchis niuoſi Phaſidis volucres.
Sic fortis Heros diffluit, gulæque
Sic frèna laxat lautiùs, ſibique.
Tandem redit ſed moribus vetuſtis:

Non mollis ampliùs, nec eleganti
Cultu ſuperbit, aureoque luxu.
Eſt nanque durum, frigidumque marmor.

LYCVRGI STATVA apud eoſdem
EPIGR. CCXXXVIII.

HIc ſapiens, hic mente ſagax, hic legibus ornat
Quæ fræno populos Sparta Amyclça regit
Rara Therapnæis virtus: robuſtus, & acer
Spiritus indomito in pectore nempè fuit.
Ipſa altùm ſpirat mulier Spartana: vel ipſe
Audet magnanimus dura ſubire puer.
Id Genti robur, grandique hac indole creſcunt,
Legibus edocti, magne Lycurge, tuis.
Marmore nunc viuo ſpiras: Spartaque relicta,
Das rigido Romæ iura ſupercilio.

DRACONIS ATHENIENSIVM Legislatoris ſtatua.
Apud eoſdem Cornelios.

EPIGR. CCXXXIX.

AGnoſcis vultus? inſculptus marmore duro,
Eſt Pandionius, durus & ipſe, Draco.
Primas Cecropijs leges hic dictat Athenis,
Legifer, an lictor lethifer? ambiguum eſt.
In ſontes acuit rigidam ſic nempè ſecurim,
Vt iura humano ſcripta cruore putes.
Scilicet æquarunt hoc nomen facta: draconi
Sanguineo & dirus par fuit iſte Draco.

SOLONIS STATVA.
Apud eoſdem.

EPIGR. CCXL.

AEquâ hic fronte vides clarum præſtare Solonē,
Mitis mite ipſum marmor & eſſe docet.

Quas

Quas Draco ſanguineas leges dictauit Athenis,
Viſus Cecropio melle rigaſſe Solon.
Nempè iugo facili mortalia colla premenda,
Suſpensáque putat fræna tenenda manu.
Nunc indefeſſo vt moneas Solon, ore Dynaſtas;
Non piget æterno hic marmore ſtare diù.

Tres Parcæ apud eoſdem.

CLOTHO.

EPIGR. CCXLI.

EX *Herebo*, noctiſque ſinu furua edita Clotho,
Vultu par matri, par, ſimiliſque patri eſt.
Torua ſupercilio Fatorum ſtamina geſtat,
Carpendamque graui pollice, & vngue colum.
Cernitis externam Getulo ex marmore frontem:
Credite; ſunt intus viſcera dura magis.

LACHESIS.

EPIGR. CCXLII.

HAec Soror immiti eſt inamabilis altera vultu:
Hæc vitas hominum net, Lacheſimq; vocant.
Scilicet aduoluit fatalia penſa, trahitque
*H*oras lanifico pollice cuique ſuas.
Hinc, quid longa tibi promittis ſtamina? Parca eſt:
A Parcà an poterit longior eſſe dies?

ATROPOS.

EPIGR. CCXLIII.

TRiſtior huic ſpecies, & non placabile pectus;
Atropon hinc diro nomine iure vocant.
Hæc acuit ferrum: rigido ſtat forfice, & illi
Hi luſus, noſtros diſſecuiſſe dies.
Expreſſam hic ſaxo an ſperas molleſcere poſſe?
Nō lachryma hunc lapidē, gutta nec vlla cauat.

CYBELE DEORVM MATER:
Apud eoſdem.

EPIGR. CCXLIV.

MArmoris hæc Phrygij tabula Berecynthia (curru
Sublimis bijugo vecta, leone ſedet.
Maieſtatem auget, ſacro quæ vertice turris
Surgit, & auratas tollit ad aſtra comas.
Scilicet hæc illa eſt Mater grandæua Deorum;
Quam lymphata ſimul cymbala, & æra canunt;
Quòd ſi tellurem Cybelem dixere Poetæ,
Quàm lepidè luſit fabula priſca, vides.
Nempè ſinu terræ, & cultis naſcuntur ab hortis
Numina, quæ mundi fræna operoſa regunt.

ANDROMEDA ALLIGATA ſcopulo.

Apud eoſdem Cornelios.

EPIGR. CCXLV.

SIt quamuis marmor Cephèia Virgo, nec illi
Sint hic fluctiuagi monſtra timenda maris;
Attamen in ſcopulo ſic hæret vincta, pauetque,
Ceu tùm terrifico piſce voranda foret.
Horret nuda ſinum; immanis ceu verberet intùs
Corda timor: marmor ſculptile penè tremit.
Aſpiciunt Cælum manantia lumina fletu,
Scilicet, orato Numine, poſcit opem.
Crede oculis: queſtus dices erumpere ab ore;
Molliat vt ſcopulos, horrida monſtra, mare.
Parce metu, Andromede: ſic ars tè fecit ad vnguē,
Nulla manus, nulla vt lædere monſtra velint.

ACHIL-

ACHILLES.

Apud Spadas.

EPIGR. CCXLVI.

MArmore in hoc gelido ardet Lariſſæus Achil-(les;
Pectore flammiuomus ſpirat & ille vigor,
Iliacas molitur adhuc flammaſque, neceſque,
Hectora & hic alium vellet, vt en ſe cadat.
Phillyrides ſiquidem Iuueni quem ſemifer ignem
Magnanimo afflauit, nec lapis iſte premit.
Fallimur: Aacidæ inſuperabile robur Achilli
Indiderit Chiron, ingeniumque ferox:
Quæ calet hac ſtatuà virtus, & nobilis ardor?
Dat melior Chiron, Praxitelęa manus.

MICHAELIS ANG. BONAROTAE caput marmoreum.

Apud eoſdem Spadas.

EPIGR. CCXLVII.

ORa virùm pulchrè ſpirantia fingere ſuetus?
Et Polycleteà ſaxa animare manu,
Nunc non abſimili, Bonarota, effingeris arte;
Atque repręſentat te quoque ſculpta Paros.
Te non æquat opus; Bonarotā haud impare dextrà
Fingere, non alius, quàm Bonarota poteſt.
Non facit ars pretiū: facis ipſe at nomine: ſemper
Nempè tuo à vultu nobile marmor erit.

DANTHES ALIGHERIVS.

In Muſæo Gualdi.

EPIGR. CCXLVIII.

NOn eget inſculpto Dāthes hoc marmore; culto
Ingenio ſtatuam ſculpſerat ipſe prius.

Effe-

Efferus è Scythicis erumpens Barbarus oris
  Auſoniæ ſtudijs aſpera bella mouet;
Italici Phœbi tectis abiere Sorores,
  Territa cum Muſis Pallas & exul abit,
Nullus honor ſtudijs: artes ſylueſcere: linguis
  Eſt & pro cultu diuite barbaries.
Indolet hanc Danthes cladem, refugamq; Mineruã
  Nititur ingenij vi reuocare ſui.
Tentabunda redit Pallas: reduceſque Camœnæ
  Incipiunt doctis plectra mouere modis.
Non omnem is terſit ſordem: ſed puluere ab alto
  Emerſiſſe artes, & micuiſſe, ſat eſt.

FRANCISCVS PETRARCHA.

In eodem Muſæo.

EPIGR. CCXLIX.

HIc ille ingenio cultus, calamoque Petrarcha
  Nobilis, Hetruſcæ gloria prima lyræ.
Seu fluit adſtrictis numeris facundia ab ore
  Pierio, currit libera ſiue pede;
Eſt eadem ſemper: nec carmina Tuſca Latinis
  Concedunt: non hæc culta, vel illa magis.
Munditias reuocat Muſarum: doctaque lima
  Radit, quæ Scythico miſcuit ore Gothus.
Stet tibi, Petrarcha, hoc marmor. Nõ laurea fronti
  Splendidius viridi Daphnide nomẽ habes. (eſt:

TORQVATVS TASSVS.

In eodem Muſæo.

EPIGR. CCL.

NOn hoc te marmor, quãquã hoc in marmore (viuis,
  Taſſe, ſed ipſa vetat Calliopea mori.
Trans mare fluctiuagum, palmis quà ſurgit Idume,
  Aonidas cogis velificare Deas.

Impa-

Impauidæ hic bellis adſunt, plauduntq; trophęis;
Afflant inde tuum pectus, vt illa canas.
Entheus hinc furor; hinc grādis tuus ille cothurnus;
Armaque ab ingenio nobilitata tuo.
Olim Mœonide certabat Muſa Maronis:
Fœdere nunc pulchro cedit vterque tibi.

TRITON.

In fonte propè ædes Barberinas.

EPIGR. CCLI.

VNdiuagos mutare lares, pelagoque relicto;
Tritonem vitreo in fonte ſedere iuuat.
Neptuni tubicen vocalem fluctibus implet
Concham, ſpumoſo & murmure ſpirat aquas.
Aequora num linquis, Triton, liquidoſque penates,
Vt ſcopulos fugias, monſtrāque ſæua maris?
Te tua, proh quantum! mens fallit: triſtia nempè
Monſtra habet, & ſcopulos martia Roma ſuos.

FONS IN SVMMO IANICVLO

Pauli Pontificis Quinti.

EPIGR. CCLII.

TIburtina vides madere ſaxa
Vndis hic vitreis, lacu nec vno
Fontes feruere, copioſiore
Venā, & præcipites ſcatere fluctus.
Nimirum hæc cupiens videre magnæ
Romæ culmina celſa, proximaſque
Arces ſyderibus, theatra, thermas;
Huc vnda arripiens iter, leniique
Curſu per riguos fluens canales,
Sudatoque madens liquore multo,
Altum Ianiculi ſubijt cacumen.
Hinc bellè cadit algido ſuſurro;
Proſpectu & fruitura amœniore,

Gau-

Gaudet fluctibus irrigare Romam.
Te, Paule, auſpice, te docente curſum;
Hi fontes petiere Martis arcem,
Donati & laribus fluunt Latinis.
Te voce altiloqua, inclytumque nomen
Grandi murmure proferunt diſertè:
Sed nec deſinet vnda prædicare
Laudes, Paule, tuas, potentis ipſam
Vrbis quòd facis incolam Quirini

FONS AD VIAM IVLIAM citrà Tyberim.

Ab eodem Pontifice excitatus:

EPIGR. CLIII.

QVod flumen vndæ ductilis per arcus
Paulus recuruos largiore vena
Adire iuſſit Romulos penates,
Et montis Aurei beare culmen;
Non ſiſtit hìc, ſed proniore lapſu
Cæcis cuniculis petit Quirites,
Vrbemque riuulis ſuis inundat.
Dimanat inde, quem vides perenni
Spumare fontem gurgite, & ſtrepenti
Sonare venà, bulliente fluctu.
Hunc Paulus ornat, expolitque ſaxis,
Quæ Sparta mittit, & mittit Caryſtos;
Vt murmuret latè vnda, decidatque,
Excepta cultu marmorum ſuperbo.
Gratare Paulo, Roma, cuius hæc ars;
Terſiſſe vultus Ciuium, atque fontes
Ad ſaxa tranſtuliſſe, vt indè currant,
Sibique plaudant lætiore fluxu.

FONS IN VATICANI AREA.

Eiuſdem Pauli Pont.

EPIGR. CCLIV.

AN coniuratis nunc fluctibus Iſter, & Indus
Fonte hoc præruptò gurgite, & amne fluunt?
Impetus is nempè eſt, ea vis reuolubilis vndæ,
Vt dicas, geminum fundere flumen aquas.
Hinc pelagus concha eſt, quę vaſta fluēta ter am-
Excipit, & pulchrè continet vna ſinu. (plo
Fertur, millenis Xerſes legionibus amnes
Exſiccaſſe, ſuis pellat vt vnda ſitim.
His nunc agminibus Romam ſi Perſa veniret,
Non has ſiccarent agmina fontis aquas.

FONS IRIM PINGENS:

In Vaticanis Hortis.

EPIGR. CCLV.

QVà Vaticano Colle amęniores
Horti illecebras nobiles propinant;
Fons eſt, cadente qui liqueſcit imbre,
Pluitque ſpiſſis, roſcidiſque guttis.
Hunc ſi coruſcus ſpectet, & micanti
Inſpergat auro Phœbus, explicari
Arcu per imbres diſcolore, vernos
Depicta vultus, Iris hinc videtur.
Hic ſqualet aurum, purpuraſcit oſtrum,
Ardet pyropus, & viret ſmaragdus,
Miſcetque, confunditque mille pulcra
Hortenſis Iris fuſiles colores.
Sinum recurua gemmeum ſuperbit,
Nec Iridi, quam nubibus figurat
Sol ipſe, cedit: æmulam laceſſit,
Certatque cultu, floridaque fronte.
Miranda cernis: teſſeræ, decora

Et

Et ſigna pacis Irides, viciſſim
Certamen ipſæ concitant, parique
Pugnare cernis inuicem Gradiuo,

FONS AQVAE FELICIS.

Sixti Pont. V.

EPIGR. CCLVI.

SI curſitantis vndæ
Nomenque, patriamque,
Fontemque quæris, hoſpes,
Hic ille, qui Columnæ
Deſudat imber agro,
Iunctiſque mille puris
Veniſque, riuuliſque,
Et montium per alta,
Et vallium per ima,
Et plana per viarum,
Et baiulatus arcu
Multo, Latina venit
Ad tecta clarus hoſpes:
Longo & labore feſſa,
Nec ſiſtit vnda velox,
Peregrina nec quieſcit.
Ludit, ſalit, ſuſurrat,
Feruetque, curſitatque.
Nomen deinde iactat,
Dedit quod Auctor ille,
Qui molibus Quiritum
Ad aſtra vexit Vrbem,
Virtute, quam Tiara
Sixtus magis colendus.
Nanque excitat figuris
Cælata ſaxa viuis;
Sculptiſque ab arte ſignis,
Sedem parat ſuperbam
Salientibus fluentis.

Tùm

Tùm nomen, inquit, vndæ
Meum do, quod reliqui:
Fauſtèque ſplendidèque
Felix vocetur illa.
Vrbis Latinæ, & Orbis
Dignum Parente munus.
Felicior ſed ipſa
Eſt Roma, rara Patris
Cui contigere ſummi
Dona hæc liquentis vndæ.

COLVMNA TRAIANA.

EPIGR. CCLVII.

PRoxima ſyderibus Traiani nomina Cælo,
Infert, quæ Cælum celſa columna petit.
Tanta mole Paros, tanta nec mole Caryſtos
Viſæ vnquam nubes tranſilijſſe leues.
Militat hic Cæſar ſculptus; pugnantque Latina
Agmina, & inuito marmore, marte calent.
Nempè vel in ſaxo rigidum ruit hoſtis in hoſtem,
Et pede collato, dant, iugulumque petunt.
Dum ferro cędente, cadunt Dacique, Scythæque
Exanimes, animat ſculpta columna neces.
Voces penè audis morientum è marmore muto,
Et lapide immoto, tela volare vides.
Hæc eadem Cælum perterret fronte Columna,
Ne tantum, excuſſo fulmine, lædat opus.

EADEM COLVMNNA.

EPIGR. CCLVIII.

ASpera quæ ſignis, varijſque animata figuris
Pergit ad æthereas alta Columna plagas;
Dum tenuem condit cinerem, ſublime trophæum
Mortis, non magni Cæſaris vrna fuit.
Inſerat hæc audax ſe Cælo, aſtriſque Columna,
Et tua Phębeo collocet oſſa ſinu,

Nil

Nil lucis, Traiane, tuis ſic manibus addis:
Vmbraque vel propiùs ſydera ſemper eris.

COLVMNA ANTONIANA.
EPIGR. CCLIX.

SAcra Pio Auguſto hæc aſſurgit ad aſtra Colũ-
Traiane, aut ſimilis, ſiue gemella tuæ. (na,
Hic etiam fera bella furunt, cælataque ſaxo
Romulis hic etiam fulmina mittit Auis.
Inuictus tonat & Cæſar; ferroq; coruſco
Sarmata, Sueue, acer Vandale, Parthe cadis.
Portenta hæc molis quis montibus eruit altis?
Quis potuit ſolers expolijſſe labor?
Romana hinc nullo maieſtas decidet æuo:
Fulcit nempè humeris mira columna ſuis.

EADEM ANTONINI PII Columna.
EPIGR. CCLX.

ALtera trans nubes hic cernitur ire Columna,
Vt ſciat, vnde micet Iuppiter, vnde tonet.
Excitat hanc alter ſtudio non impare Cæſar,
Proque opere Auguſtus certat vterque ſuo.
Si redit Alcides, geminam videatque Columnam,
Diceret, an Calpen iacto, Abilamque meam?
Pulchrum eſt, Oceano metas ſtatuiſſe; ſed arti
Pulchrius eſt metas figere, & ingenijs.

PYRAMIS VATICANA.
EPIGR. CCLXI.

VAticana Petri quà ſurgit ad æthera moles,
Niliacus ſurgit, Pyramisalta, labor.
Nubila ſumma petit ſublimi cuſpide, & vltra
It nubes, velut hinc aſtra ferire velit.
Sacra olim Auguſto, cultuque imbuta profano:
Sacra triumphali viſa deindè Cruci eſt.

Ver-

Vertice ſtat ſummo terris venerabile ſignum,
Et vicina auget ſydera luce noua.
At num celſa Crucem ſuſtollit Pyramis? erras;
Pyramidem potius Crux pretioſa leuat.

PYRAMIS LATERANA.
EPIGR. CCLXII.

HAec olim è Latio ſpectabat ſydera Circo
Pyramis, & Romam miſerat alta Pharos.
Mundiuago dicat & Soli Conſtantius: iſte
Nam tanta dignus luce obeliſcus erat.
Celſa dein Phębo moles erepta, verendæ
Sacra Cruci, cultu ſplendidiore micat.
Hanc dum, Sixte, Sacras, Superis atque inſeris (aſtris,
Aurea ſublimis tu ſimul aſtra ſubis.

PYRAMIS EXQVILINA.
EPIGR. CCLXIII.

ME quondā huc Mēphis miſit Nilotica, magni
Auguſti vt cineri nobilis vrna forem.
Barbara ſed fregit rabies, diſcerptaque fędè,
Ad Tyberis iacui littora flaua diù.
Tu cladem, Sixte, inſtauras, tu noſtra mederis
Vulnera, & Exquilio, te auſpice, Sole fruor.
Muto vices pulchrè: triſti nam affixa ſepulcro;
Nunc Domini cunas relligioſa colo.

PYRAMIS FLAMINIA.
EPIGR. CCLXIV.

QVà ſolita eſt pubes Romana agitare quadrigas,
Hìc quoq; ter magno in Circo obeliſcus erat.
Qui regit ignicomę lucis fræna aurea, Phębo
Priſca ſuperſtitio dedicat artis opus.
Sanctiùs at Phariam magnæ tu, Sixte, Parenti
Molem, mutata relligione, dicas.
Virgineo hinc cultu decorata, & nomine, ſurgit
Altiùs, obſequio nempè ſuperba nouo.

Pyramidas Superis ponis, Pater inclyte, Roma
 Eſſe putat famæ ſed monumenta tuæ.

PYRAMIS IN HORTIS MEDICAEIS Montis Pincij.

EPIGR. CCLXV.

QVà ſublimis alit Medicæos Pincius hortos,
 Extat, quod Memphis barbara iactet, opus.
Pyramis Iſiacis nempè hic ſignata figuris,
 Et ſcripta ambiguis ſurgit acuta notis.
Maior erat; tempus ſed quod vorat omnia, molem
 Hanc etiam ærato dente vorauit atrox.
At tantum ſi trunca decus, ſemeſaque cultis
 Addidit his hortis; integra quid faceret?

PYRAMIS IN FORO AGONALI.

EPIGR. CCLXVI.

PYramis Oebalio hæc olim tranſmiſſa Canopo,
 Surgit agonali nunc rediuiua foro.
Corruerat ſiquidem, Caracallæ atq; obruta Circo,
 Mole ſua iacuit ſemiſepulta diù.
Excitat illam iterum Latij Pater inclytus Orbis,
 Atque peregrina viſa ſtetiſſe baſi,
Suſtinet en humeris ſcopulus præruptus, & ipſe
 Haud vno ſcopulus fuſilis amne madet.
Hic Ganges, Iſter, Niluſque volubilis, & cui
 Nomina ab argento clara dedere, fluunt.
Quàm bellè iungunt fluctus, vt quæ aſtra laceſſit,
 Pyramidem vnanimi murmure concelebrent.

PYRAMIS AD MARIANVM Templum ſupra Mineruam.

EPIGR: CCLXVII.

PYramis hæc nuper tellure emerſit ab ima,
 Et viſa è tumulo ceu redijſſe ſuo,

San-

Sanctior Eoo colitur quà thure Minerua,
  Hic ſita, Niliacis nobilitata notis.
Suſtinet hanc Elephas, & tanto à pondere anhelat,
  Sueta humeris turres bellua ferre ſuis.
Hinc immota hæret fera Punica: nempè per Vrbem
  Romuleam hæc moles non ſinit ira grauis.

AMPHITHEATRVM VESPASIANI, & Titi.

EPIGR. CCLXVIII.

EXcitat in medio Amphitheatri culmina Romę
  Hinc Pater, & Soboles dedicat inde Titus.
Certant magnanimi: centenos hic tollit ad aſtra
  Arcus, millenas exhibet ille feras.
Quicquid virgatæ dat Ganges tigridis, Afra
  Et quicquid fului terra leonis habet;
Hic fremit, hic rugit: concurrunt paria horrida, dẽtę
  Et ſe fulmineo, ferreo & vngue petunt.
Horrent qui ſummis ſpectant, qui ſedibus imis;
  At placet à diris cędibus ille pauor.
Barbara ſed ſiluit pridem laniena ferarum,
  Non leo, non tigris dilaceratur atrox.
Hoc mirum, & miſerum; cuneata quòd ipſa theatra
  Hoſtili iaceant dilacerata manu.

IDEM AMPHITHEATRVM.

Dum ad theatrales ludos nõn ita pridem inſtruitur.

EPIGR. CCLXIX.

SAxa quis auguſtæ inſtaurat ſquallentia molis?
  Et reparat pugnis Amphitheatra nouis?
Certabunt iterum paria hìc horrenda ferarum?
  Hìc taurus, toruà hìc fronte leæna furet?

Dij prohibete nefas : ne bellua ludat, arena
Hìc vbi Chriſtiadum ſanguine fumat adhuc ;
Procubuere olim, viſæque hic lambere ſacros
Ore pedes Pugilum pardalis, vrſa, leo .
Marmaricas imitare feras , Romane , docent te
In Circo hoc quid agas, pardalis, vrſa, leo .

THEATRVM POMPEII.

EPIGR. CCLXX.

FAlleret vt tempus pubes Romana, theatrum
Pompeius cultu nobiliore ſtruit.
Par capitum decies Octonis millibus : Vrbi
Romulidum quamuis hic ſitus impar erat.
Hic agiles choreæ , hic nudi ſaltare Luperci ,
Lancibus hic aureis luxuriare dapes.
Aemulus hic Fidicen,cantuſque:hic ſcena cothurno
Siue grauis , ſocco ludicra ſiue leui .
Exhilarant olim hìc ludi: at ſors verſa theatri eſt :
Excitat & fletus vaſta ruina tuos .

THEATRVM MARCELLI.

EPIGR. CCLXXI.

SVrgit ab Auguſto moles auguſta theatri ;
Hanc ſed Marcello dedicat ille ſuo .
Fama eſt, nil Latiam aſpexiſſe ſuperbius Vrbem ,
Seu peregrina vides ſaxa, vel artis opus.
Succeſſere vices, quique iniuria tantum
Inuidit pompæ, magne Quirine, tibi.
Pauca triumphatæ molis veſtigia cernis ,
Quæ muto, & mutilo ſic iuuat ore loqui .
Sit tua, quiſquis ades, virtus tibi grande theatrum ;
Hoc nequit arrodens vlla abolere dies.

CIR-

CIRCVS MAXIMVS INTER Auentinum, & Palatinum.

EPIGR. CCLXXII.

PRoximè Auentinum grandis patet area: Circus
 Nempè inter magnos Maximus ille fuit.
Millia plus multò quàm bis centena Quiritum
 Fertur in immenſo continuiſſe ſinu.
Ornat non vnus Cæſar: ſtat fulta columnis
 Porticus, & multo fertur ad aſtra gradu.
Hic volucris curſu ſonipes metitur arenam,
 Peruolat & rapidis acta quadriga rotis.
Certatur: tergis inſiſtunt lora, voratur
 Circus; non aquila eſt tam cita, non aquilo.
Dantq; animos plauſus: bijuges fauor vrget anhelos,
 Vulgus & hinc ſtudijs ſcinditur, inde ſuis.
Diſcite, præcipites qui cernitis ire quadrigas;
 Curſu vita leuis mobiliore fugit.

CIRCVS AGONALIS.

EPIGR. CCLXXIII.

CIrcus Agonalis fuit olim marmore cultus,
 Hic vbi venale eſt nunc ab Agone forum.
Nulla loci facies priſci: non meta citatis
 Euitata rotis: nulla & arena micat.
Nec Parijs ſurgit gradibus: nec nobilis imum
 Excipit hinc vulgus Porticus, inde Patres.
Attamen haud ſqualet; nouus eſt nitor additus illi;
 Perſtrepit haud vno hic mobilis vnda lacu.
Succeſſit Circi rapidis rota lenta quadrigis,
 Et ſteritur curru ſplendidiore via.
Adde & Pyramidē, & niueis templa inclyta ſaxis;
 Hoc Circum, illum ſed dixeris eſſe Forum.

CIRCVS CARACALLAE Via Appia.

EPIGR. CCLXXIV.

TE via fert Circum Caracallæ hæc Appia ad ampliũ:
Extat, at à ſenio decidit ille nitor.
Quid fugitiua dies non dente vorauerit acri?
Quid non falcati temporis ira metit?
Vix noſcis, rapidis vbi biga iugalibus acta,
Eluſit metas arte, agilique rota.
Ne mirere, hoſpes, volucres fugiſſe quadrigas:
Hoc mirum eſt, ipſum Circum abijſſe ſimul.

TRAIANI CAESARIS FORVM.

EPIGR. CCLXXV.

NOn vnum mirata forum iā Roma, videt nunc
Vmbram, Auguſte, tui; rudera, Nerua, tui.
Nec ſupereſt, Traiane, tuus labor inclytus: ille
Vanuit Attalicus cultus, & ille nitor.
Porticus hic ingens, centum diſtincta columnis;
Arcuſque, & Maurà tecta ſuperba trabe.
Hìc bello clari ſpirantes ære Quirites,
Hìc, ficto impoſito Cæſare, viuus equus.
Cuncta ſed hæc rabies immitis ſuſtulit æui,
Inuoluitque artis tot monumenta dies.
Vmbra manet: mirũ hoc, quòd abacto marmore duro,
Deleri molis perleuis vmbra nequit.

ARCVS SEPTIMII SEVERI CAES.

EPIGR. CCLXXVI.

QVi Parthos fudit felici Marte Seuerus,
Et Romana auxit priſca trophęa nouis;
Ille armis meritus grandem victricibus Arcum,
Aeternà hac ſemper mole triumphat, Io.
Huc vectam, ſculptamque Paron, tantique laboris
Cerne, hoſpes, pretium nobile, cerne decus.

Par-

Parthis fracti arcus, arcum peperere: nec hoſtes
Siſtit Septimius dextrà abolere ſuos.
Scilicet, hoc arcu pugnat; Gentemque videtur
Impoſito hoc iterum perdomuiſſe iugo.

ARCVS TITI CAESARIS.

EPIGR. CCLXXVII.

EHeu, Iſacidum Regia Numinis,
Rerum ſummus apex, pulchrior vrbium
Flos, mundi Solyme decus,
Romano ariete concidit.
Extra fulminei Cæſaris impetus,
Intus dira fames funera congerit:
Vrbs & diruta triſtior
Ipſa eſt nunc tumulus ſibi.
Grata hinc Roma Tito dedicat arduum
Arcum, Phidiaco marmore ſplendidum:
Templi hic ſculpta ſuperbia,
Sculptus Lychnus & aureus.
Proſtratæ at Solymes gloria perbreuis,
Cæſar magne, tibi contigit: inuidi
Tactus fulmine temporis,
Arcus quàm citò corruit!
Saxis diſpereunt ſcripta fugacibus
Facta, & nobilium nomina Principum,
Fruſtrà nititur inclytus
Heros marmore Punico.

ARCVS CONSTANTINI MAGNI.

EPIGR. CCLXXVIII.

MAgne, triumphalē meritò tibi dedicat Arcū,
Hoſtem quæ domuit fulmine Roma tuo.
Tu diſcerpendas acies das vnguibus vncis
Alitis armigeri, cui data tela Iouis.
Tu Cruce flammigera moliris fata Tyranno,
Et facis, vt cœſum ſorbeat vnda Tybris.

Excipit hanc palmam pubes Romana triumpho;
Et ſculpta eloquitur parta trophæa Paros.
Attriuiſſe Arcum voluit rota temporis: atqui
Quantum hoc? intactus nempè triumphus erit.

MOLES AELIA.

EPIGR. CCLXXIX.

QVam lambit Molem flauentis Tybridis vnda,
Nobilis Auguſti Cæſaris vrna fuit,
Culta erat & ſignis, Getulo & marmore: grandis
Haud potuit condi grandius ille Cinis.
Nunc facies mutata loci: nam triſte ſepulcrum
Arx eſt, fulmineo martia & ære tonat.
Terruit hinc ſemper mortales Ælia moles:
Morte olim, Martis nunc metuenda minis.

MAVSOLEVM AVGVSTI.

EPIGR. CCLXXX.

AEquet vt Auguſti facta inclyta Mauſolèum,
Hæc habuit nudus Buſta ſuperba cinis.
Regia non Coniux, extincto Coniuge, caris
Manibus huic ſimili mole ſepulcra dicat.
Hìc Pharijs inſcripta notis ſtat Pyramis: ære
Fuſa Corinthiaco Principis ora vides.
Pendenteſque vides arcus infraque, ſupraque:
Currit & immenſo Porticus ampla ſinu.
Quid iuuat hic cultus, tumuliquè ſuperbia? nulla
Reſtituunt vitæ ſaxa, vel æra iubar.
Qui ſic oſſa ornas, condiſque, Auguſte, volucre,
Hoc facis, vt tempus promptius illa voret.

SEPVLCRVM CAESTII.

EPIGR. CCLXXXI.

PYramidem hic cernis ſolido de marmore: molē
Cæſtius hanc poſuit manibus ipſe ſuis.
Deſinit in punctum: punctū nam vita minutum eſt,
Verùm eſt exiguis oſſibus ampla baſis.

Non

Non intrà, non extra eſt Vrbis mœnia : nempè
Non ciuis, non eſt exterus in tumulo.
Vt tibi terra leuis ſit, Cæſti, fruſtrà precamur;
Pondere tu ſiquidem te grauiore premis.

THERMAE DIOCLETIANAE.

EPIGR. CCLXXXII.

SVrgere quæ cernis molis fragmenta ſuperbæ;
Et quæ diſiecto culmine tecta ruunt;
Quæ fuerit ſtructura docent; quam celſa columnis;
Grandi quàm fuerint atria vaſta ſitu.
Tanto operi Tibur vix foſſile ſufficit olim:
Vixque ſuo ſatis eſt marmore Luna vetus.
Splendida Cæſareis ſtructa hæc Cōclauia Thermis,
Cultaque fumarunt balnea delicijs.
Euripi hic centum, centumq; hic currere Nili;
Multaque odoratis fiſtula manat aquis.
En quo mundicias luxu, pretioque caduci
Corporis Auguſtus comparat ille ſui.
Aeternæ ſordes animæ tu proluе: thermæ
Manantes, tepidæ & balnea ſint lachrymæ.

THERMAE ANTONIANAE, ſiue Antonini Caracallæ.

EPIGR. CCLXXXIII.

EXcitat hæc olim Thermas Caracalla: fluebat
Ductilis è tepidis fontibus vnda ſuis.
Relliquiæ hæ magnæ molis, ſpecimenque: relicta
Vix pauca auguſti corporis oſſa vides.
Non vena hic diues, reuoluta capacibus vrnis;
Non pretio exundant ſplendida labra ſuo.
Deliciæ tamen hæ valeant, thermæque tepentes;
Fontibus his virtus naufraga ſæpe fuit.

THER-

THERMAE NERONIANAE.

EPIGR. CCLXXXIV.

BAlneà terrifico quondam tepuere Neroni,
 Marmore Phidiaco culta, ter ampla ſinu.
Pulchra columnarum hic ſeries; hic porticus ingens;
 Hic aulæ; artificum hic atria picta manu.
Perque tubos manant, ſua perque incilia riui:
 Hic gelido, hic tepido perſtrepit vnda lacu.
Balnea debentur merito, thermæque Neroni:
 Aptiùs haud vlli congruit vſus aquæ.
Qui rigidus, molleſcat aqua: tùm ſanguine tanto
 Fœdatum, riuis perluat vnda ſuis.

NAVMACHIA AVGVSTI CAES. in Tranſtyberinà Regione.

EPIGR. CCLXXXV.

HOc deerat Romæ, iunctis vt fluctibus, amplo
 Reflua, ceu pelagus, ferueret vnda lacu.
Hic noua Romuleus vidit ſpectacula Ciuis,
 Vidit & artifici bella tonare mari.
Sic iubet Auguſtus: mora nulla: ex amnibus ęquor
 Naſcitur: hinc remos Claſſis, & inde mouet.
Naumachiam inſtituunt: æratis puppibus acri
 Concurrunt puppes remige, ſeque petunt.
Ardet aquis Mauors: it telum miſſile vtrinque:
 Fit gradus, & pugnà mox propiore calent.
Miſcenturque rates ratibus: roſtra aſpera roſtris
 Fracta gemunt: proram prora citata ferit.
Quæ fugat, illa fugit: Captiua hæc pinus, & illa
 Naufraga; diſciſſa & Carbaſa vbique natant.
O Sobolem Martis Romam, natamque duellis;
 Deſint bella foris, militat illa domi.

NAV-

NAVMACHIA NERONIS ad Vaticanum.

EPIGR. CCLXXXVI.

CVi ſolitum ſemper ferueſcere pectus ab æſtu;
Spumabantque irà labra cruenta graui;
Ille Nero, exundante lacu, dedit æquora Romæ,
Aequora, quæ ſpumis incaluere ſuis.
Nautica nempè edit populo ſpectacula; & acris
Pugna procul pelago ferbuit in pelago.
Hinc, atque hinc puppes, & roſtra minantia roſtris;
Alnos pontiuagas mutuus ardor agit.
Inſiliunt, vrgent, impingunt, Marte furente,
Feruere vera putat bella latina Thetis.
Si neſcis, diri ludunt ſic nempè Nerones;
Haud impar bello ludus vt ipſe furat.

PANTHEON, SS. MARTYRIBVS poſtea dicatum.

EPIGR. CCLXXXVII.

COlligit hìc vaſta, teretique in mole profanæ
Quicquid Roma leuis relligionis habet.
Omnigenum huc Numen certatim confluit, ara
Et ſummis, imis ardet odora Dijs.
Dixiſſes templi pro cultu hoc diuite ſedes
Numina non ægrè deſeruiſſe ſuas.
Tandem Roma ſapit; Diuiſque hac Sede locatis,
Expiat hæc æra, hæc marmora thure pio.
Ite procul; fortes qui dura fuere ferendo,
Vos ſacri Alcides, monſtra cruenta, fugant.

AEDES VATICANAE SIXTI Pontificis V.

EPIGR. CCLXXXVIII.

HAec Vaticano turrita palatia cliuo,
Romulidum quondam Regia ſtructa Patri;

Par

Par maieſtati, magnæ par illius Aulæ,
 Eſt & vittato Numine digna domus.
Tu tamen hanc laxas, Sixte, ædeſque ædibus addis,
 Tectaque congeminas inclyta mole noua.
Vrbem penè aliam tu condis Romula in Vrbe,
 Atque vna in Romà cernimus eſſe duas.
Sixte, tuum vt capiat pectus, mentemque ter amplã,
 Creſcere in immenſum debuit iſta Domus.

BIBLIOTHECA VATICANA.

EPIGR. CCLXXXIX.

NE quid Palladis eruditioris
Deſit, Roma, tibi; libriſque doctis
Formare ingenia vt decora poſſis;
Solers Pontificum ardor, & profuſa
Congeſſit manus vndique erudita
Scriptorum monumenta doctiorum.
Muſæum patuit ſinu teramplo
Capax: Protogene, aut Apelle fictum
Non vno, egregijs nitet figuris.
Hic emblemata, ſymbola, artiumque
Hic inſignia, teſſeræ, notæque.
Stant circum plutei, manu perità
Quos pernobilis artifex poliuit:
Et quæ conifera fragrant cupreſſu,
Vides ſcrinia fabrefacta torno,
Milleni hic Codices, voluminumque
Ordinatæ acies, ſuo & phalanges
Auctorum ordine ſedibus locatæ.
Qui ſcripſere Dei profunda, quique
Iura ſyderibus dedere chartis;
Naturæ aut gremio repoſta, docto
Peruaſere ſtylo, leuique penna:
Seu queis Socraticà polire limà
Mores cura fuit; lyraue cultà
Muſas excoluere laureatas:
Hi, facto agmine, Romula hac in aula
Athe-

Athenas faciunt; Stoamque pictam
Excitant, Academiam, Lycèum.
Olim quæ Iouis exijt cerebro,
Dum nouam cupit inuenire ſedem,
Non ſit vertice quæ minor Tonantis,
Inclyta eligit inſidere tandem
Hæc Conclauia doctior Minerua.

HORTI, ET DOMVS Mecœnatis.

EPIGR. CCXC.

CErtant, Mecœnas, hortique, & tecta ſuperba;
Hi vernant; ſurgunt hi ſed ad aſtra lares.
Proſpectant celsà Romam palatia turri:
Exhilarant horti pectora vere ſuo.
Turrita at diro placuerunt tecta Neroni:
Romę hinc fumantis buſta flagrare videt.
Mœonio canit Iliacas hìc pectine flammas,
Ceu tibi, Roma, foret non tua flamma ſatis.
Quam meritò elatus turri, penè exijt Vrbe:
Vrbis nam Ciuis non erat ille Nero.

HORTI SALLVSTIANI.

EPIGR. CCXCI.

DVm foris igniuomis deſudat Roma ſub armis,
Laxat & Imperium per fera bella ſuum;
Delicias condis, Salluſti, & Adonidis hortos,
Imbelliſque agitas otia lenta domi.
Tonſilis hìc mirtus, viridique hìc bellua buxo:
Hic nemorum vmbriferas ventilat aura comas.
Hic vernis Flora areolis: violaria mille,
Mille vides teneros picta roſeta ſinus.
Quid cum Marte roſis? cum Sole, & puluere belli
Quid ſyluarum vmbris, fontibus aut gelidis?
At qui bella gerit, durus parit otia Mauors;
Sudor & ille hortos irrigat, ille cruor.

HORTI PALATINI Farneſiorum.

EPIGR. CCXCII.

Caeſarei hic olim laqueatâ mole Penates;
Hinc Palatini nomina Collis habet.
Certabant Cælo ſublimia culmina, & auro
Ardebat, picto pariete, culta Domus.
Nunc vbi Mygdonio fulſerunt marmore tecta,
Hortorum veneres, deliciæque virent.
Hìc ſyluæ, hìc vernant Farneſia lilia, mille
Quæ ſaliens riuis perluit vnda ſuis.
Nil reliquum faſtus: hortorum conſpicis vmbras,
Nulla ſed eſt Aulæ nobilis vmbra leuis.

AEDES PONTIFICIAE Quirinales.

EPIGR. CCXCIII.

Colle Quirinali, perflat quà mitior aura,
Vertice & è ſummo ſubdita Roma patet;
Hìc auguſta locat Paulus Conclauia, cultu
Splendida regifico, grandia mole pari.
Excipiunt æſtate hyemes; hyemantibus horis,
Excipiunt tepidos, Sole calente, dies.
Acceſſere horti, vitreiſque è fontibus vndæ,
Et ſyluæ, & picto Flora ſuperba ſinu.
Sede hac Pontifices, puroque ſub aere vitæ
Longæuæ poterunt ducere penſa diù.
Tu ſed magnificos condis qui, Paule, Penates,
Inclyta dum ſteterint tecta, perennis eris.

VENE-

VENETORVM AEDES D. MARCI.
EPIGR. CCXCIV.

Pontificum hæc olim Sedes: hic ferbuit Aula
Romulidum: hinc leges ſceptra Latina dabant.
Auguſti Venetis nunc conceſſere Penates,
Atque hic magnanimus conſtitit ille Leo.
Quæ fuerat iam tergemino haud anguſta Quirino,
Nunc non eſt maior vaſta Leone Domus.
Eſt fronti ſenium: ſed nobilis Incola cultum
Mutuat: inde decus, frontis & indè nitor.

AEDES FARNESIANAE.
EPIGR. CCXCV.

STat Romę in medio, nempè, vt pulcherrima rerum,
Eſt hæc celſa loco nobiliore Domus.
Mole nihil maius, nil forma auguſtius extat;
Fronte quatergeminà certat & ipſa ſibi.
Marmore quà Pario, quà ſecto Tibure fluxi
Aeui non metuit tela, nec arma Iouis.
Qui propè flauenti Auſonius prętерfluit vndà,
Hæc indefeſſo murmure Tybris ait.
Gloria ſunt Vrbis Farneſia tecta Latinæ;
Suntque decus ripæ, deliciæque meæ.

AEDES BVRGHESIANAE.
EPIGR. CCXCVI.

REgali haud impar cultu, formaque ſuperba
Exterior Domus hęc, interiorque ſibi eſt.
Atria fulta vides Lunenſi è rupe columnis,
Arcubus & currit Porticus alta ſuis.
Ordine diffugiunt intus Conclauia longo,
Atque Cariſtæum marmore vbique micat,
Aurea tecta iterum dices rediiſſe Neronis:
Si non hi ſuperant aurea tecta lares.
Diuitias Domini Attalicas, lydique metalli
Vim meritò hæc ſeruat tam pretioſa domus.

Quin

Quin etiam vt tectum, & tantum cuſtodiat aurum,
Gentilis vigilat nocte, dieque Draco.

AEDES BARBERINAE Præneſtini Principis.

EPIGR. CCXCVII.

FOnte quatergemino ludit quà mobilis vnda,
Præneſtina petit ſydera celſa Domus.
Hinc, atque hinc geminum protendit longiùs altà
Mole latus; geminos ſcinditur inque lares.
Aſſurguntque gradus geminata cochlide; vtrinque
Ad ſummam limax tortilis itque domum,
Hic Paros, hic Tibur certant: ſaxoque perenni
Structa, æui temnunt ardua tecta vices.
Splendida quid viuis efficta coloribus aula?
Quid fornix, mirè pictus Apelle nouo?
Splendorem at Domini cumulat peramabilis illa,
Cultaque præclaro in nomine Barbaries.

AEDES MAZZARINAE in Quirinali.

EPIGR. CCXCVIII.

QVã benè ſublimi Domus hæc in vertice Cliui
Alta Quirinalis tollit ad aſtra caput.
Ardua nimirum præcelſo è Colle videri
Se cupit: eſt formæ conſcia nempè ſuę.
Non Solem eripiunt propiora palatia: puram
Auram hinc aſſurgens ebibit, atque iubar.
Procurrunt centum latè Conclauia, amœnant
Quæ virides horti, & murmur euntis aquæ.
Sæpiùs at Dominos mutat: nempè indicat, ædis
Plures tam cultæ munere velle frui.

AEDES CAETANAE.

EPIGR. CCXCIX.

IMminet Hippodromo Domus hęc; Roma inclyta quicquid
Concelebrat pompæ, hinc ire redire vides.
Grande decus fronti, ſaxis quam nempè peritæ
Arte laboratis expoliere manus.
Molliter acclines, ampliquè è marmore viuo
Surgentes ſubeunt tecta ſuperba gradus.
Phidiaca hic ſigna Heroum; tabulaſque decoras
Parrhaſias dices, arte animaſſe manus.
Ipſe deeſt operi finis: ſic nempè ſupremo
Abſolui haud potuit Coa labore Venus.

THEATRVM VATICANVM ab Alexandro Pont. VII. excitatum.

EPIGR. CCC.

ARdua quid iactas Capitolia, Roma? theatra
Inclyte quid memoras, Veſpaſiane, tua?
Cedite: millenis hæc fulta theatra columnis,
Et Latij moles, exuperatque Pharon.
Area quàm lata eſt Circi? ſtat Porticus alta:
Nunc hyemes, ludit nunc Nemeamque feram.
Curuantur centeni arcus, magnoque coronant
Clauigeri ſerto templa ter ampla Petri.
Pontifices quod mole ſua perterruit omnes,
Solus Alexander grande peregit opus.

Pellæo maior: celebri nam digna theatro:
Magnanimus forti perficit ille manu.
Maxime Alexander, peragis tu digna theatro:
Inſuper ipſa etiam culta theatra facis.

EXTERIOR D. ANDREAE A VALLE Facies.

Eiuſdem Max. Pontificis iuſſu, ac ope excitata.

EPIGR. CCCI.

SPlendida Alexander quæ tēpla extruxit in ima
Montaltus Valle, & ſydera adire dedit;
Alter Alexander, curis ornata ſecundis,
Hæc eadem auguſtà ſurgere fronte iubet.
Inclytus ille oſtro; triplici hic diademate clarus:
In mole hac certant regià vterque manu.
Pende hinc molis opus: rebus ingentibus olim
Vnus Alexander par Macedo ille fuit.
Hæc verò exornent vt dextrà diuite templa
Inclyta, Alexandri vix duo ſufficiunt.

D. AGNETIS TEMPLVM in Foro Agonali.

Ab Innocentio Pontifice Decimo extructum.

EPIGR. CCCII.

PAmphylius ſtruxit laqueata hæc templa, cruentæ
Hic vbi viſæ olim ſtare in agone feræ.

Lydo

Lydo cultà auro, cęlata & marmore, cruſtis
  Et picturatis cuncta nitere iubet.
Non vaſta hæc moles: molem ſed reddidit amplam
  Pontificis ſplendor, cultus & ipſe loci.
Scis, cui ſacra Aedes? niueo cui nomen ab Agno:
  Sed leo magnanimus veriùs illa fuit.
Non timor hunc tenerum, non lictor faſcinat agnũ:
  Excipit impauido tela vibrata ſinu.
Corruis olim Agnes diram pia victima ad aram;
  Quam tibi nunc meritò nobilis ara calet!

FINIS.

ODARVM
APPENDICVLA.

LECTORI.

E*FFVDERAM identidem, Lector, Odas quaſdam, prout ſe ſe dederat occaſio; ac vix iã memineram, dictaſſe.* Ex*ſorduerant nempè inter cæteras meas lucubratiunculas; quas dum euoluo, incidi in hæc* Lyrica *: relego : agnoſco pauca, & mala, ac digna ſuo puluere, non Sole. Attamen, vt matribus accidit, quas ita nunquam adamaſſe ſuam ſobolem pœnituit, vt ſæpiùs ipſos naturæ defectus, & excuſent peramanter, & vt quaſdam veluti eiuſdem illecebras, atque ornamenta naturæ exoſculentur. Nam tritum illud de parentum amore :*

Et deforme pecus iudicat eſſe decus :

Ita profectò viſus mihi quidam in has Odas Parentis *affectus excitari : planè vt cum nihil in ijs cernerem* Lyræ *melioris; ac maculas inſuper agnoſcerem, à priſcis* Lyrico*rum munditijs longè alienas, ac abſonas; nihilò tamen minùs ab intima veluti ma-*

terni ſinus indulgentia, non modò conniuere, verùm etiam fouere, & complecti oportuerit. Scilicet, cæcus ſemper amor ſui: quando in iſtiuſmodi laboribus euulgandis eſſe Argus deberet, ne eruditos aliorum oculos offenderent. Itaque Muſis ipſis reclamantibus, quòd incomptæ nimis prodirent in publicum, edere in lucem ſtatui: præſertim cum hæc ipſum ſui ſtudium frequenter auribus inſuſurraret. Eniti, ac latere deinde inter domeſticos parietes literarios fætus, hoc naſci non eſſe, ſed denaſci: præſtare verò, eos non edi; quàm editos, inuidere luci publicæ: quo etiam cum ijs videri ipſa conſepeliri ingenia, Muſaſque ipſas perpetuo quodammodò carceri, ceu palmaris criminis compertas, mancipari. Emergant igitur ſuis è tenebris pauca hęc Odarum fragmenta. Ea quiſquis leget, ſi ſibi tandem perſuaſerit, ſubitario plerumque impetu, ac præcipiti ſtyli ductu fuiſſe exarata; næ ille Lyriſtam, et lyram benignè excuſabit; habebitque vnde Auctori comitatem, humanitatemque approbauerit ſuam.

ODARVM APPENDICVLA.

D. CAIETANI THIENAEI IMAGO

Ad Præſepe Domini in Baſilica D. Mariæ Maioris poſita.

Vbi idem Thienæus, qua nocte diuini Natales celebrantur, Puerum Ieſum accipere à Deipara ſuas in vlnas meruit, auſpice D. Hieronymo.

ODE PRIMA.

SVrgit ter amplæ Regia Virginis,
Cultuque, & alta mole ſuperbior;
Aeſtiua quondam quà ſupinas
Exquilias operit pruina.

Quàm

Quàm̃ læta rerum monſtra Quiritium
Gens vidit ! ardens cùm niue candida
Reſperſa tellus, dedicauit
Templa Dei niueæ Parenti.
Hìc dulcis ardor, flammaque nobilis
Pectus Thienis corripit igneum̃:
Hìc Ille rupes dum volutat
Bethlemias, tenerum̃que Num̃en;
Liqueſcit, & mox plurima gaudijs
Immixta puris lachryma diffluit:
Guttiſque molles vagientis
Numinis immaduere cunæ:
Vidit tepentes Diua Puerpera
Manare fletus: vidit & intimas
Dulci calere æſtu m̃edullas,
Et placuiſſe ſatis venuſti
Formam Puelli: nec mora: pignore
Eſt hoc Thienes, dixit, amabili
Dignus: manuque, vlniſque noſtrum̃
Lacteolum cape, Diue, Natum.
Cunctaris? hæres? pectora perculit
Tam grande munus? Dalmata ſed Senex
Hortatur, impellit, faceſque
Subdidit, & ſtimulos moranti.
O quæ ſereno depluit æthere
Obliuioſi copia nectaris!
Quæ flamma! paruo dum Tonanti
Stare ſinu libuit Thienis.
Crinalis auri fila minutula
Nunc intuetur diuite vertice:
Nunc frontis aſtra, & ver genarum̃,
Gutturis & niuei liguſtra.
Complexus arctè membra tenellula,
Et totus ignis, dulcibus oſculis
Libare blandè pura geſtit
Labra, genas, roſeamque frontem.

At, Diue

At, Diue, tandem delicium breue
Magnę Parenti reddere cogeris:
Offerre nec differs decoræ
Cum Puero tua corda Matri.
Ad nota, cernis? gaudia nunc redis:
Cunas reuiſis picta in imagine:
Scitosque vultus, ceu ſuperſtes,
Virginei Pueri reguſtas.

D. FELICITAS cum ſeptem Filijs martyrio coronatur.

ODE II.

EN fronte dura, pectore fortior;
Secura lethi, Fœmina, vulnerum,
Neciſque contemptrix, Tyranni
Et rabiem domitura diri.
Non ſola pugnat: ducit ad aſperam
Natos palæſtram, robore nobiles,
Pluſquam Lacæna ardet virago,
Pignora & exacuit diſertis
Robuſta dictis. Ite per ardua,
Quò bellicoſam prouocat indolem
Decora virtus, & cruentis
Serta parat pretioſa pugnis.
Si veſtra noui pectora, & igneos,
Qui nunc coruſcant vultibus, impetus;
Flagrantis haud egent acutis
Magnæ Animæ ſtimulis Parentis:
Non ora fallunt; ſpiritus entheus
Vos vrit intus; calcar & aureum
Eſt veſtra vobis dura virtus,
Vosque faces, ſtimulique vobis.

Me matris ardens attamen incitat
Amor triſulcà cuſpide, ſuggerit
Et verba, quæ veſtras medullis
Congeminent operoſa flammas.
Ergo minacis dum flagrat acrior
Vultus Tyranni; dum furor eliquat
Ferrumque, & æra, & mille peſtes,
Concidat vt generoſa virtus;
Durate: magno & pectore, qui metus
Elidit auſus, degener exulet.
Non mutet ora lictor; ignis
Magnanimo rutilare vultu
Cernatur idem. Sydera cernite,
Quæ ſerta texent frontibus aurea,
Non tela, rictus aut ferarum,
Quæ cruciant leuiore morſu.
Iam lacte Mater guttura prolui:
At laureatum nunc peto ſanguinem;
Fundam ipſa pronior: ſit vna
Pulchra mihi, Soboliqne palma:
Arſere dictis pignora feruidis;
Iam tela rident: maior & intimis
Queis flamma graſſatur medullis,
Mille pyras ſubijſſe vellent.
Vrgentque vultu terrificas manus;
Quiſque & videtur fronte ſeuerior
Sui eſſe lictor, & Tyrannum
Intrepidus vocitare lentum.
Natos bis edit magna Puerpera;
Semel viriles parturit; Africa
Mox ceu piè ferox leæna,
Magnanimos peperit leones.
Vides? feroci pectore nil timent;
Quin & ter amplo gutture deuorant
Vngueſque, denteſque, & vibrata
Tela, cruces, chalybes, Tyrannos.

Tantæ

Tantæ phalangis Dux pia fœmina:
Leæna nempè Romula concitat
Agmen leonum; diuiduntque
Parta manu impauidà trophæum.
Sublimis arcem ſcandit olympicam,
Reuincta crines ſydere plurimo
Cum prole Mater: currus idem
Promeritum vehit ad triumphum.

CRESCENS MIRE COMA D. AGNETEM nudam tegit.

ODE III.

NOn te palæſtræ prouocat arduum,
Agnes, duellum flore puertiæ;
Tu ſed palæſtram bellicoſam
Pectore magnanimo laceſſis.
Vides furentis nuda Satellitis
Vibrare cœdes brachia: turbido
Vides & ore deflagrantis
Terrificas furias, minaſque
Sæuas Tyranni: tu penetrabilem
Rides ſecurim, & fulmina Cæſarum;
Et penè lacteam vouere
Non dubitas animam Virago.
Quid & Leonis guttura Punici?
Pictæque rictus Pardalidos, feros
Vnguesque, dentes & minaces
Fulmineæ tigridis? cruentum
Temnis theatrum, quicquid & horridus
Inhoſpitali vertice Caucaſus,
Aut Caſpiæ rupes, arenis
Aut aluit Libye peruſtis.

Semel

Semel peracris dilaniat pudor
Te, Virgo : pectus nobile concidit,
Et viſa penè elanguiſſe
Exanimis generoſa virtus.
Pudica Prætor ſcilicet improbus
Cum nuda iuſſit corpora detegi,
Spectante vulgo; conſpiciſque
Virgineas violare Romam
Niues, videndo. Proh ſcelus impium!
Quæ tum genarum purpura! qui pudor!
Velles ſub imas ire terras,
Cimmeria aut latitare nocte.
Reſume, Virgo, pectus, & indolem
Agnetis: auro diuite fulgidum
En defluens repentè velum,
Nuda vides operire membra.
Nempè en comarum pompa ſuperbior
Soluta, pallam creſcit in auream,
Taloſque lambit, Virginemque
Ex oculis niueam profanis
Aufert. Supino quid pretioſius
Hoc crine? peplum num nurus Attica,
Telamque texuit parem vnquam,
Mygdoniæ aut poliere dextræ?
I nunc, decori ſtamina verticis,
Et bracteatam mille modis comam
Agnetis orna: culta & auri
Cęſaries geminet nitorem.
Perfuſa nardo pendula defluat,
Frontemque molli verbere mulceat,
Criſpetur vndis, aut in vnum
Eniteat religata nodum;
Adde implicandis retia crinibus,
Intexta gemmis; adde adamantinos
Hinc inde fulgentes lapillos,
Margaridum & teretem procellam;

Tam

Tam culta nunquam Virginis inclytæ
Coma hæc capillis fulſerit aureis,
Quàm cum pudica velat ora,
Auricomo & pia membra peplo.
At caſta puri lilia corporis,
Et delicatum Virginis hoc ebur,
Quàm pulchrè, & iure inumbrat ipſa
Cæſaries pretioſa Diuæ!

VENCISLAI BOEMIAE REGIS in Eucharyſtica myſteria pietas.

ODE IV.

PEnnà quò feror alite?
Quò curſu volucri me rapit entheum
Docto afflatus Apolline,
Frænique impatiens Pegaſus aurei?
Terris iam procul Italis,
Subiecta egelidis arua Trionibus
Calco, & Parrhaſias niues,
Hybernæque tero regna Boemiæ.
At quis lumina verberat
Fulgor, ſydereis vultibus emicans?
Sertum vertice regium,
Culta & cæſaries lumine mutuo
Collucent: pietas genis
Perſancta ingenuis, & pudor excubant.
Quis non nouerit, optime
Vencislae, tui protinus inclytam
Vultus effigiem pij?
Tu flos, & decus, & tu Pharos aurea
Regum, & certa Boemiæ
Tu ſpes, & columen: non numerabiles

Magnæ

Magnæ ſunt animæ, & tui
 Dotes, egregij pectoris hoſpites;
Palmam ſed pia præripit,
 Quæ diam Cererem, & pocula nectaris
Sacri relligio colit.
 En quò te ſtudium Numinis impulit,
Tantæ materiem dapi,
 Frugemque, & Bromij præla fragrantia
Præſtas regifica manu.
 Tellurem ſiquidem Ruſticus aulicus
Scindis vomere regio;
 Ipſe & deinde ſeris, falce & ahenea
Frugem demetis auream.
 Celſus tùm molitor, piſtor & inclytus
Moliris Cerealia,
 Quæ mox plena forent Numine fercula,
Sic vindemia regijs
 Exundat lacubus: Bacchus & vuifer
Gaudet feruere ſplendidè,
 Dum tantus calices Vinitor exprimit;
O quo ſydera munere
 Compenſant Cererem, vinaque Maſſica
Regi magnanimo. Deus
 Ipſe eſt Empyreo nobile ferculum,
Ipſe & ſorbile poculum;
 Miſcenſque ambroſiam nectare, munera
Iuſta lance librat: dapes
 Et reddit dapibus, pocula poculis.

D. ATHA-

D. ATHANASIVS profugus.

ODE V.

CVi Graia Pallas vertice in arduo,
Et grande robur pectore feruido,
Et corde virtutum phalanges
Igniuomæ, validuſque mentis
Ardor Latinæ; non Leo Caſpius,
Non mille terrent agmina fortium,
Quos aſperat furor, minacis
Horrificat feritas & oris.
Hæc viſa quondam vis Athanaſij
Firmare magni pectus aheneum:
Hic ille bellicoſus enſis,
Et clypeus fidei coruſcans.
Vidit Canopus cœdibus Herculem
Nouum cruentis feruere; & horrida
Mulctare monſtra peſtilentum
Hęreſeon potiore lingua.
Arſere dextrà ſpicula: miſcuit
Vocem, ſtylumque: eſt cominus, eminus
Infenſus hoſti; ſiue ſcribat;
Seu tonitru quatiat theatrum.
Diue, at palæſtrà te pede proripis
Formidoloſo? num ſimulas fugam,
Et tela Parthorum doloſo
Aufugiens iacularis arcu?
O ſemper ardens in noua pælia!
Pulchrè triumphas in volucri fuga,
Tùm ſtrenuè certando, pulchrè
Et fugis, & latitas, calente

Vbique pugnà. Patris in abdito
Latens ſepulcro, puluere ſordidus
Moliris arma, viuidoſque
Dant animos cineres paterni.
Piè ferocem perpolit indolem,
Ceu cos, ſepulcri prægelidus lapis;
Audentior conſurgit inde,
Acrior & generoſa virtus.
Quod ſi reductum tu putei ſinum
Subis profundi; haud inclyta mergitur
Virtus; flagrantis mentis ardor
Nec riguo in puteo refrixit.
Hic tela cudis Mulciber ignea:
Hæc Lemnos; hic & fulmina lucubras,
Cœdas vt Arium, proteruam
Anguipedum & Sobolem Gigantum.
Hinc laureatam Chriſtiadum fauor,
Plaudente Cælo, concelebrat fugam:
Et deliteſcens tu ſepultas
Concelebras latebras triumphis.
Quàm iure Cælo creſcit adorea;
Et ſerta Numen congeminat comis.
Decertas nanque bellicosè,
Et profugus ſuperas phalanges.



APES IN ORE D. AMBROSII mellificant.

ODE VI.

VIdes, relictis ales vt alueis
Hyblæus alto murmure peruolet?
Pinniſque turmatim explicatis,
Et rutilis ſpatietur alis?
Cur regna præpes mellea deſerit,
Sedemque auitam Ciuis Hymettius?
Quò tendit exul, & volatu
Cur alias peregrinus oras
Quærit fugaci? Ceu petat hortulos
Florentiores, aſpice vt æmula
Certet phalanx phalangi, apemque
Vrget apis potiore pinna.
Infantis altus quà ſopor occupat
Cunis iacentis membra tenellula,
Arcana vis trahit vagantum
Mellifluas acies volucrum.
Vident decoro nempè in amabilis
Vultu puelli culta roſaria,
Et fronte lilia, & labellis
Flammeolas rutilare calthas.
Putant fragrantis hic Zephyritides
Florere cunas veris, & Attico
In flore Gratias cubare,
Atque ſuam poſuiſſe ſedem.
Hinc picta flagrat turba volantium;
Adit, ſuſurrat, libat & oſcula
Mellita labris dormientis,
In roſeo & liquat ore nectar.

Cunis iacentem ſcilicet, Ambroſi,
Apis volatu te petit innuba:
Blanditur, it redit, tuiſque
Mellificat ſtudioſa labris.
Siticuloſum prouida candido
Dum lacte nutrix irrigat affatim
Guttur; ſimul miniſtrat altrix
Diuite apis ſua mella venà.
Hinc lacte puro, Cecropio & madec
Succo: liquentem guttura copiam
Vtramque miſcent: ſunt & ora
Lactea, mellea: teſtis æuo
Poſt grandiori gratia floridæ
Linguæ, & diſerti flumina nectaris;
Et viſa facundis venuſtas
Magnificè fluitare labris.
Teſtes latino nectare, & Attico,
Quæ lucubraſti tincta volumina:
Roſas feris, dum nempè ſcribis,
Ambroſià & calamus redundat,
Nec mella tantum roſcida pectori
Infundit Ales melleus: ignea
Relicta cuſpis ori, acuta
Ingenio & ſua tela docto.
Quem non triſulcæ ſpicula territant
Linguæ, ſeuerè dum tonat, & ſcelus;
Monente verborum procella,
Vindicat Ambroſius loquendo?
Quid ſcripta narrem? ſi ferit improbos,
Moreſque mulctat: ſi ſtylus igneus
Inſanientis punit æui
Illecebras malè feriatas,
Torquere dices fulmina Olympium
Iouem: quot inſunt verba, legentibus
Tot tela vibrat; literæque,
Grandiloquę penetrant medullas:

Quæ dormienti ſcilicet incubant
Apes Puello , fœdere nobili
Adulto & arma , & dulce nectar
Ambroſio tribuere magno.

HERCVLES CVN HYDRA
Feſti Romæ ignes.

ODE VII.

CRinitus auro Phœbus Olympicum
Circum remenſus , liberat igneos
Curru iugales , & diurnas
Perluit Oceano quadrigas .
Quàm læta fluxit plauſibus æmulis
Dies ! remiſtis tympana buccinis
Audita : vulgo geſtiente ,
Purpurei Bromij falernos
Manare riuos vidimus. Heſperus ,
Et noctis vmbræ ſub Ioue roſcido
Noua allaborant nunc theatra ,
Flammiuomis placitura pugnis :
Quæ monſtra cernis ! fronte minacior
Compacta moles ſydera percutit :
An bella reſtaurant Gigantes
Anguipedes , Superoſque terrent ?
Quis ille ſummà mole , ferocia
Cui dira vultu ; torquet & aſperam
Clauam lacertis ; ora noui
Amphytrioniadæ , manumque
Monſtris timendam : contraque ſibilat
Lernæus anguis vertice multiplex ,
Fœcunda cui colla , & vireſcit
Vulneribus rediuiua ceruix .

 Vtrin-

Vtrinque flagrat iam furor æmulus :
Non ſęua pugnam Bellua reſpuit, :
Nec horret Alcides palæſtram ,
Terribilem colubris renatis .
Arcanus ignis , mole ſed ardua
Flagrante, dirè prælia ſuſcitat :
Igne Hydra feruet ; Herculeſque
Fulmineo vomit ore flammas ;
Nam ſulphurato machina puluere
Inſtructa, flammæ ſemina contegit :
Latet doloſa peſtis intùs ,
Igniuomam paritura cladem .
Ergo fauillà tacta volatili
Igneſcit ardens Phlegra , volubilis
Vulcanus & vibrat coruſcas
Mille faces, rutilaſque tædas .
Hoc igne toruus tactus & Hercules ,
Inſanit irà; Lernaque centiceps
Hoc igne ramoſam repentè
Syluam agitat capitum furentum ;
Se ſe laceſſunt fulmine mutuo :
Hinc inde tortus Mulciber euolat :
Fax itque miſſilis, per ima,
Perque rotat iuga ſumma molis .
Non terret ardor, nec iaculabile
Fulgur, procella aut ſpiſſior ignium .
Eſt horror ipſe gratus, atque
Exhilarant fera tela crudi
Alcidis, & Lernæ colla tumentia .
Vides nitratos ire per æthera
Angues, & orbe tortuoſo
Serpere ſulphureos colubros :
Nox ipſa, nigrum ſciſſa ſinum, face
Feſta niteſcit; gaudet & aureus
Dies videri, luce lernæ , &
Herculeis radiata flammis .

Poſt mille tandem ſpicula ludicra;
Plaudente Romà, poſt fera prælia,
Poſt molis ardentis ruinam,
In cinerem & reuoluta buſta,
Vindex ferarum turbidus Hercules
Hac in palæſtra victor, & igneà
Eſt victus Hydra, bellicoſus
Ancipiti cadit & triumpho.
Flagrante claua dum ferit æmulam;
Et colla dextrà diſſecat ardua;
Fumatque, ardetque Oethęus Heros;
Atque ſimul cineraſcit ipſe.
Nimirum inultus non cadit anguibus
Fœcundus Anguis: vritur ignibus
Flammatus Alcides, & Hydra;
Funereos cinereſque miſcent.
Tu diſce, quiſquis iurgia conferis;
Immitis hoſtem dum cupis igneo
Delere ferro, aut igne, fatum
Ipſe tuum meditaris atrox.

VERMIS SERICARIVS.

ODE VIII.

DEſcende, Clio, Colle biuertice,
Fer & diſertum barbiton; inclytus
Quamuis nec heros hic canendus,
Nec fidibus celebranda Teijs
Sagata virtus. In tenui labor,
Nec laudis expers: nam ſeges aurea
Flaueſcit, vltrò demetenda
Carminibus, citharæque noſtræ.
Dici decoro pectine nobilis
Eruca poſcit, textile quæ ſinu
Educit aurum; netque ſolers
Fila modis pretioſa miris.
Nimirum Arachne doctior, haud colum,
Fuſumue tractat turbine tortili:
Eſt ipſa pro cunctis, coloque
Penſa trahit potiora Lydà.
Credis? tepentis ſub niue pectoris
Mollis fouentur ſemina ſerici;
Erumpit inde in lucis auras
Æthereas animata bombyx.
His illa cunis editur, vbera
Nempè inter almæ candida Virginis.
Tam delicatè nanque naſci
Sericam araneolam decebat.
Diuulſa Thisbes quæ coma frondea
Vireſcit, illi fercula ſuggerit,
Lautaſque frondes dente tondit,
Aſſiduo & populatur eſu.

Opes

Opes, & aurum hinc diuite congerit
Sinu, hinc & aluo vellera concipit,
Quæ fulua mox in fila tendit,
Docta ſuum tenuare penſum;
Ergo vorauit vix ſatiabili,
Quæ dente Morum, ſtamine nexili
Hanc rependit, vomitque frondes
In tenues operoſa tramas.
Spectare pulchrum, cum ſua licia
Eruca textrix ſplendida lucubrat:
Se penè quæque net, ſibique
Eſt Lacheſis, faciliſque Clotho;
Laborioſis peruigil excubat
Textis; in altos ſedula nititur
Ramos; ſua hic orditur, atque
Penſa trahit melior Minerua.
Vides minuto ſtamine pendulam:
Itque, & redit funambula ſerica
Per fila, quæ vomit, trahitque,
Lanificas properans diuque,
Noctuque curas. Aſpicis impigram
Vrgere penſum; flauaque viſcera
Decuſſat, addenſat, retorquet,
Implicat, agglomerat. Mæandrum
Errare dices, qui pede tortili,
Et flexuoſo gurgite defluit:
Aut ſic iter clauſit doloſis
Mille vijs labyrinthus olim?
Labore tanto nobilis artifex
Quo tendit? vrnam ſcilicet inſtruit
Sibi ſuperſtiti, politque
Exiguæ tineæ ſepulcrum.
Hic ſiſte, & audi: pondera congere
Liuentis auri: noctibus excuba:
Innecte curis nempè curas,
Sollicitus ſuperare Lydum

Regem?

Regem, ſuperbi nomen & Attali;
Gangiſque arenas diuitis Indicas,
Aurumque Craſſi, Perſicamque
Luxuriem; chlamydumq; faſtum;
Eheu, docet te Papilio breuis,
Tot ſericarum nomina veſtium,
Opeſque auaras, cultum & omnem
In tumulum properare triſtem.
Affinis vrnæ eſt pompa ſuperbior:
Parum ſepulcro diſtat: an immori
Iuuabit auro, ſplendidoque
Te nitidè tumulare luxu?

PANTHEON HISPANORVM Regum.

ODE IX.

ET cultus paries marmore Punico;
Tectorumque minæ, ſplendor & atrijs;
Grandiſque addecet altos
Reges pompa ſuperſtites.
At poſtquam volucris dirior Atropos
Vitæ diſſecuit ſtamina Principum;
Magni qui cecidere,
Buſtis pignora poſtulant
Condi & regificis. Ardua molium
Portenta Ioniæ cernite Cariæ:
Nilum cernite, claræ
Et miracula Mempheos
Turrita. At ſileat barbara nunc Pharos;
Mauſoluſque ſuâ mole ſuperbior:
Quid nunc Pyramis alta
Iactat proxima ſydera?
Vmbris nempè ſuis Pantheon inclytis
En Gens Auſtriadum conſecrat aureum:
Maieſtas tumulanda
Ceu ipſa hic foret; igneus
Aut Sol emoriens occiduis plagis
Se vellet tumulo condere ſplendido,
Claram & quæreret vrnam,
Flagranti cineri parem.
Cerne at magnificis porticibus locum
Suſpenſum, gaza Perſide nobilem,
Nulla hic mortis imago,
Cultuſque horridus aſpici.

Oble-

Oblectat ſpecies regia funerum,
Permiſtus tumulis & nitor aureus:
Et quæ pectora terret,
Grata hic Parca ſeuerior.
Vt nanq; ima petas; non tamen inferus
Arcanis tenebris eſt locus obſitus.
Illuſtrat iubar vrnas
Regum, & congeminat diem.
Nempè hìc Dalmatici fulgurat vndique
Auri luce ſua lamina ditior:
Emollita caminis
Ardent æra Corinthijs.
Hic & picta Paros, marmora, & vltimis
Lucullæia plagis vecta, Caryſtijs
Secta & rupibus altis,
Interraſaque pollice
Piſæo: hic radiant ignibus æmulis
Gemmæ, quas & Arabs expolit, aurifer
Et quas voluit Hydaſpes,
Et quas India parturit.
Viuos nempè rogos excitat igneum
Gemmarum iubar: hìc inclyta grandium
Flagrant pignora Regum,
Auguſtuſque Cinis calet.
Stant circùm tumuli: nomina Manium
Magnorum Phrygio marmore perlegis;
Quæ tranſcripta refulgent
Inter lucida ſydera.
Vrnam quàm meritò tu prior occupas,
Cæſar, Romulidum maxime Cæſarum!
Orbis, Carole, terror,
Flos &, Carole, Principum.
Inuictus rigidâ Martis in areâ:
Dant victi populi nomina; es Italus;
Afer, Teuton, Iberus,
Belga es, Gallus, & Indicus.

Poſt-

Poſtquam hic functus Atlas, colla potentiæ
Auguſta Auſtriacæ ſubdidit Hercules:
Sceptro nempè Philippus
Magnus, maior at indole.
Librat tergeminum mole ſupercilj
Orbem. Quæ peperit Carolus armiger,
Frænat mente Philippus;
Nutu, & prælia temperat.
Regnis viuus adhuc hic Cinis excubat;
Succeſſitque Patri, magnanimo haud minor
Alter Patre Philippus,
Pacis nobilis artifex.
Hæc vrna intrepido pectore Principem
Complexa, eſt lachrymis digna perennibus;
Fortunam hic premit acrem,
Maior ſorte volubili.
Hic Ille Auſtriadum non Pharos vltima;
Hæres hic patrij nominis, hic fuit,
Quicquid nempè fuere,
Et Reges Ataui, & Pater.
Plenis nunc calathis candida fundito
Functis Auſtriadum lilia Fœminis.
Magnarum hic Animarum
Nanque & relliquiæ iacent;
Huic vultu roſeo gratia floruit:
Mores huic niuei, grataque comitas:
Cunctas regia virtus
Aſtris inſerit aureis.
Et tu, magne Puer, Carole, ſplendidum
Ornabis rutilo ſydere Pantheon,
Poſtquam Neſtoris annos,
Longa & ſæcula viceris.
Nobis viue diù, viue & Iberiæ
Rex, Orbique diù, fataque differas;
Serò hæc Buſta reuiſas,
Lenta & ſydera claudicent.

PHA-

PHALANGIVM.

ODE X.

QVis dira cogit dicere Daunij,
Canente plectro, damna Phalangij?
Formidoloſæ num ſonoris
His aderunt numeris Camenæ?
At, quòd canoro pollice frangitur,
Veſtriſque neruis ſæua feruſcula;
Adeſte: nam veſtrum eſt, diſertæ
Pegaſides, domuiſſe peſtem,
Quæ ſæua campis regnat in Appulis,
Aeſtiua cum Sol ſpicula feruidus,
Flagrante Cælo, torquet, acris
Et rabies caluit leonis.
Hic fuſcus, hic eſt pictus araneus;
Eſt mole paruus; vulnere at aſpidem
Aequat doloſam, viperamque,
Quæ Libycis ſinuatur oris,
Cum meſſis aruis fluctuat aureis,
Et iam recuruis falcibus imminet
Colonus Appulus, ſecatque
Frugiferam ſegetem peruſtus;
Hoſtis ſub illa fruge minutulus
Molitur acres inſidias, latens:
Aditque inobſeruatus, atque
Dente ferit rigidò immerentem.
It triſte fibras virus in vltimas,
Afflatque venas; pectus & intimum
Igneſcit, æſtuat: veterno
Membra vides ſtupuiſſe lento;

Labat-

Labatque ceruix languida : non vigor,
Non motus, aut vis viuida ſenſibus:
Quæ ſerpit intus cæca tabes,
Luctificus docet ore pallor.
Non laureato natus Apolline;
Non hoc Machaon, non Podalirius;
Senex nec herbà Cous vnquam
Gorgoneum domuit venenum.
Huc ſiſtra, veſtrum huc barbiton aureum,
Et plectra, Muſæ, ferte Aganippides:
Ebur ſonorum eſt nempè præſens
Dulciloquis medicina neruis.
Vix chorda ſurdis accinit auribus,
Vocalis auræ cùm penetrabile
Melos ſinum peruadit; inde
Lethiferum iugulat veternum.
Sopore victo: proſilit, emicat.
Dant plectra vires: tum pede libero
Vagatur huc illuc, choræis
Et citharæ numeros laceſſit.
Vides coruſcum ſtringere ſæpiùs
Enſem feroci dextera; amabilis
Nam fulgor ille oblectat ægrum,
Atque alacris vigor inde creſcit.
Iuuatque textam cernere purpuram
Saltando: vires firmat, & arrigit,
Accendit & magis, magiſque
Puniceus color ille pectus.
Romana quondam compita martios
Triuiſſe nudo ſic Salios pede,
Vidit Quirinus, & Gradiui
Sic reduces celebraſſe pompas.
His ſed Luperci ſaltibus Appuli
Fixum medullis virus in vltimis,
Sudore dum madent ſalubri,
Viſceribus penitùs reuellunt.

Fræ-

Frænaſſe neruis Orphea dulcibus
Impaſta Pænis ora leonibus,
Et arduas traxiſſe rupes,
Fabula commemorat Pelaſga.
At vera Iapyx narrat, eburnea
Mulcere dirum plectra phalangium,
Altèque conceptum venenum
Armonicà domuiſſe chordà.

PRAETEXTATA POESIS fugienda.

ODE XI.

QVíſquis Cupidinis triſulca ſpicula
Vitare, tincta & melleo
Cupis veneno tela, & ardentes faces;
Vultus Diones candidos,
Fuge, & genarum purpuraſcens minium;
Crinale & aurum verticis:
Vltrò, citròque mollia & mitte eloqui,
Dictante verba Cypride.
Hæc nempè caſta colla ſubmittunt iugo,
Menteſque puras faſcinant,
Acerbiora candidis ſed ſunt tuis
Cauenda bella moribus.
Vita libellos, melle quos dulci linit
Diſcincta Parnaſſi cohors,
Saloque Pellex nata reſpergit ſuis,
Blandiſque Nati gratijs.
Heu, dulcibus quas ventilat leporibus
Inceſta flammas pagina!
Flagrat papyrus, ipſæ & flagrant literæ:
Eſt cuique flamma ſyllabæ,

Quæ

Quæ pectus vrit, melleis & ignibus
Haurit medullas intimas.
Quæ nanque comptis verſibus placet Venus;
Vulcanus illi ſtat propè,
Suæ maritus coniugi; & rogos parat,
Virtus vt omnis ardeat,
Moreſque recti, & indoles mortalium
Flagret fauillis igneis.
Satis, ſuperque proniora pectora
Arcanus vrget impetus;
Sua & voluptas quemque nolentem trahit;
Quò verna vultus gratia,
Roſæque pictæ dirum alunt Cupidinem,
Tegunt & anguem noxium:
Cur addit ignes ignibus ſtylus procax?
Mota & flabella concitant,
Natura quas recondidit ſinu faces,
Quas nulla reſtinguit dies?
Arguta ſed poeſis, & muſa elegans
Lenocinantur auribus:
Verborum & ille cultus, & purus nitor
Bellè loquentis Phocidos
Capit legentes; limat & facundiam,
Rudeſque fandi perpolit.
Sic nempè noſter decipit nos improbus
Senſus, malumque poculo
Sorbemus aureo; fibras & vltimas
Ornata peruadit lues;
Interque blandimenta vernantis ſtyli,
Et dictionis floridæ
Roſas loquentes, expedit ſpinas ſuas
Amor ruinarum artifex.
Sint hi libelli cunctis elegantijs,
Et Atticæ poeſeos
Sint expoliti doctiore pumice.
Hic vena linguæ diuitis.

Hic Muſa Teia, Aſcræus hic Vates, Olor
Claruſque Dircæus ſuos
Fundant lepores, fundat & Flaccus ſuos;
Quid inde? nunquid nobilis
Non hæc ruinis Scylla tot mortalium,
Syrtiſque morum ſplendida?
Age, hæc periculoſa tu volumina
Euita: amęnitatibus
Ne crede, quas pennatus afflauit Puer,
Prauiſque cum muſis Venus.
Sunt, qui diſerta dictione paginas,
Styloque pingunt florido:
Simulque ſenſus impluunt menti bonos,
Moreſque formant aſperos.
His immorari pulchrum: & hęc manu tere,
Imoque conde pectore.
Et quicquid eſt Ouidiani nectaris,
Tergat cicuta Socratis.
Et muſa muſam trudat, obſcænam candida;
Liberque librum vindicet.

In Pindarum rediuiuum

CL. V. IACOBVM ALBANVM Ghibbeſium Anglum

Poëtam Laureatum, Cæſareum.

ODE XII.

QVò te volucri Pegaſus vngulà,
Albane, pennà quò rapit alite?
Sublimiori iam volatu
Pierià petis aſtra fronte.
Is trans Olympum ſcilicèt arduum,
Et laureatæ culmina Phocidos:
Cælumque ſcandis celſum, & addis
Sydereo noua plectra cycno.
Hinc mentis ardor plus calet, igneis
Immixtus aſtris; & furor entheus
Spirat quid altum, concitatquè
Ingenium propiore flammà.
Præclara quiſquis facta, vel inclyta
Proſtare ſeclis nomina peruelit;
Laudeſque ferri, quà remotos
Verberat Oceanus Britannos;
Supplex ad aram percelebrem tuæ
Muſæ vaporo thure litauerit:
Et nuncupatis ritè votis,
Te, altiſonamquè tuam Camœnam
Imploret. Hymnis vecta curulibus,
Sic magna virtus æquora tranſuolet;
Sic fama certet multilinguis
Solis equos ſuperarè curſu,

Quæ gens Latinis diſſita finibus,
Seu Cancer vrat ſydere torrido,
Seu Parrhaſis diuexet Vrſa,
Quem lituo celebras diſerto,
Ignorat? aut quem non calor æmulus
Vulgi ſupremo miſcuit æthere,
Si tu canas bellè, & decoro
Dixeris ingenio merentem?
O, mactè grandi pectine: tempora
Si te tuliſſent aurea; ſi tuum
Vocale ebur, plectrumquè priſco
Nobile perſonuiſſet æuo;
Quas Smyrna lauros occupat innubas;
Quas clara Dirce, doctaque Daunia,
Dictante Phębo, vox Sororum
Aonidum tibi deſtinâſſet.
Quæ fuſa chartis nectaris Attici,
Et diues auro copia! Pindaro
Tu maior acri; doctiorque
Mœonide, nitidoque Flacco!
Illuſtre pergas tangere barbiton,
Mulcere & aures carmine Principum;
Externa dum pangis, videris
Ipſe tuas numerare laudes.

V E N A T I O.

O D E XIII.

ENeruet nimiùm corpora ſedulus
Deſudata labor, curaquè peruigil;
Robuſtique fatiſcat
Virtus languida pectoris;
Sunt, quæ mille modis robore priſtino
Reſtaurant animos; fractaque recreant
Membra; exhauſta vigori
Illa & reſtituunt ſuo.
Hunc mirè vegetat barbiton aureum,
Aut dulcis tremulo gutture Daulias:
Hunc pulſata choræis
Tellus, & pede libero.
Illum ſcena iuuat ſiue hilaris leui
Socco, ſiue graui ſyrmate flebilis:
Miſcere & vice grata
Gaudet ludicra ſerijs.
Hic fallit Siculis tempora ferculis;
Et curas ſepelit nectáre Maſſico.
Hos excuſſa fritillis
Fallax teſſera detinet.
Senſus cuique ſuus. Quid generôſius
Membrorum at reficit vim reparabilem;
Attollitque labore,
Quas vires minuit labor?
Venatus, ſtudium nobile, diſſonis
Et pulſata canum ſylua latratibus,
Et iucunda ferarum
Vmbras per nemorum fuga;

Hæc ignaua terunt otia pulchriùs;
Curaſque, atque animi nubila diſſipant;
Creſcitque inde voluptas,
Strages ſi nemus aſperant.
Quà currunt facili ſydera tramite,
Venari Superos dixeris: abdita
Sunt hìc luſtra ferarum,
Eſt & bellua præferox.
Hìc nempè Arcitenens, & vagus Hercules;
Telis flauicomus Phœbus & aureis
Fuluum fortè leonem,
Vrſamque, & leporem leuem
Clamore exagitant. Otia detinent
Hæc Reges eadem. Non thorus aureus;
Non hos culcitra mollis,
Non oſtro in Tyrio quies
Lentos pigra tenet. Solis anhelitus
Præuertunt rapidi, & cornipedum vngulas:
Matutina ſtrepunt, &
Rauco cornua murmure.
Ardens ſtat ſonipes: nec mora: frondibus
Quà contexta vocat ſylua comantibus,
Saltuſque, & nemus atrum
Peruadunt volucri pede.
Pernix turba canum præuolat, Vmbria
Quos fidos aluit, quoſque Britannia.
Tendunt nare ſagaci,
Veſtigantque cubilia.
Illis nulla quies, fulmine & ocyùs
Excurrunt agiles rura volubili;
Deprenduntque vagantem
Per veſtigia belluam.
Ergo fulmineis ſetiger hinc aper
Venantum horrificat dentibus agmina;
Hinc in cornua ceruus
Surgit fronte minacior.

Incen-

Inceditque animos præda : fit impetus ;
Incurrunt iaculis: ludere quà fuga ,
Quà acri dente moloſſos
Frendens bellua nititur .
Gratum feruet opus . Sylua remurmurat ;
It ſummum validus clamor ad æthera :
Pulſant aſtra latratus ,
Vera & prælia cernere
Dices ; miſſa manu tela volautia
Cum ſternunt facili corpora vulnere,
Paſſim & ſtrage cruenta
Fumant horribiles feræ .
Iure hinc magnanimam prouocat indolem
Clades hæc nemorum ; quod fera prælia
Crudi in Martis agone
Dirè feruere cernimus.
Bellum nanque canunt cornua Martia ,
Hoſtes & iaculis itur in obuios ;
Eſt pugnæ Marathon rus ,
Partæque exuuiæ , feræ .
Gliſcunt hinc animi pectore nobili ;
Virtus perque neces fit generoſior ,
Et proſtrata ferocem
Iram bellua ſuſcitat .
Inſignem Aeacides ebibit indolem ;
Dum perſæpè feras aut ferit , aut fugat ;
Cyruſque erudit olim
Cœſis pectora belluis .

VESVVIVS erumpens.

ODE XIV.

FEralis, eheu, pectora concutit,
Tonante Cælo, flamma, volubilis
Et mota tellus, & flagrante
Nube cinis, pluuiæque cautes.
Suo Veſeuus ſcilicet ebrius
Mero, incaleſcens æſtuat horridè,
Furitque lymphatus, ſupremum &
Gentibus exitium allaborat.
Campana fluxit gloria pampini:
Quem nuper vuis nectareis comæ
Ornant reuinctæ, texta & auro
Serta racemifero coronant;
Mutatus ora Collis, & indolem,
Exſufflat ignem turbidus, aſpera
Longèque, latèque efferato
Bella ſupercilio minatur.
Surdo reuoluunt murmure prælia
Secretà primùm pectora: cuditur
Quæ dira clades intus, extra
Iam tacito reboat tumultu.
Mox rudimentum poſt graue, claſſicum
Stragis gerendæ concinit: vndique
Portenta terrent; imminentes
Et pauidos feriunt ruinæ.
Tantùm malignæ peſtis vt euomat,
Non ſat Veſeuo guttura priſtina:
Immanis altera en vorago,
Vnde truces micuere Diræ,

Fron-

Fronte, & triſulcà terribiles face ;
Quæ, ſole pulſo, nocte teterrima
Cælumque, & aſtra, fulgidumque
Surripuere diem repentè.
Fauces apertæ ceu ſtygis horridæ
Halare fumi denſa volumina :
Viſæ & micantes per volucrem
Ire faces, gladijque fumum.
Conflata nubes hinc, tremebundaque
Horrore multo ſydera terruit,
Quæ ſciſſa, ſupremum æmulari
Viſa Iouem tonitru, ſagittis
Et tortuoſis. Quid truculentius,
Quàm ſpiſſa diro fulmina murmure
Miſceri, & vmbras execrandà
Igniuomas rutilare luce ?
Proluſit atra nocte, fragoribus
Diù & ſonoris, & face tortili
Mons ſęuus ; hians tùm vorago
Euomuit noua monſtra terris.
En ſulphuratus, mixtus & aſpero
Ferro minutim, turbine peruolat
Verſatili cinis, metuque
Attonitas, operit propinquas
Vrbes, & longo tramite diſſitas
Terras. Iapyx horruit, horruit
Lucanus, Hirpinuſque, & acer
Dalmata, Pannoniuſque diram
Montis procellam : funere non procul
Abeſſe credunt, quos pluuius cinis
Inſtantis admonet ſepulcri ;
Et tumulat propiore fato.
Ebullientes poſt cinerum globos ;
Ceu conſepulti flammiuomo ſinu
Centum Veſeui ſtent Gigantes,
Bella mouent truculentiora.

Nam

Nam quæ dehiſcunt effera guttura;
Fragmenta vibrant grandia rupium,
Molæque, cauteſque euolutæ
Aſtra petunt tremefacta dirè.
Formidoloſis eſt nouus hinc pauor:
Namque euibrati dum reuolubiles,
Grauique mole proniores,
Præcipiti lapides ruinà
Labuntur; alter percutit alterum;
Vrgentque ſe ſe vulnere mutuo,
Alliſu & horrido remugit,
Terribilique tonat boatu
Cælum; reuulſo cardine ceu cadat;
Mundi & laboret machina. Nec ſatis
Adhuc minarum: eructat ore
Strage nouà noua damna terris
Mons dirus: amplis faucibus euomit
Septena vaſto gurgite flumina.
Ferale murmurant; liquatus
Itque chalybs, calidumque ſulphur;
Ceu Nilus ardens alluit oſtijs
Campana ſeptem rura flagrantia;
Quæ fræna detinent Cocyti
Igniuomam rabiem furentis?
Diuiſus ignis fuſilis atterit,
Proculcat, vrit, diſijcit oppida,
Et alta turrium, domoſque,
Et pecora, & ſegetes eundo.
Commune funus dixeris hic agi:
Emortualem mons parat igneam
Pyram, ipſe tædas luctuoſas,
Ipſe rogum, calidumq; buſtum.
Tonante Clio at territa vertice,
Se ſe volucri proripuit fuga:
Hinc dextra languet, mouere &
Plectra nequit, fugiente Muſa.

SENE-

SENECTVTIS bona.

ODE XV.

FLore qui vernas alacris iuuentę,
Crinis & iactas radiantis aurum;
Illa ceu texant pretioſa longæ
Stamina vitæ :
Crede, ſub læto fugientis æui
Vere non vnus latet anguis ; ætas
Sæpe, dum floret, reſupina triſti
Decidit æſtu.
Curua quæ fato propior Senectus
Aequat annoſum Pylium, ſuoſque
Dum cadit, duris generoſa membris
Suſtinet annos ;
Illa, ſi neſcis, meliore luce
Ebibit Soles: agitata nullis
Viuit Euripis ; pelagique nunquam
Fluctuat vndis.
Impetus olim genij flagrantis,
Turbines mentis, tacitique ſæuum
Pectoris bellum ſenuere ; fugit
Turbidus auſter.
Verticis cani niue candidatus,
Non ſenex ardet Pueri volucris
Igne, nec flammà Cypris indecorâ
Æſtuat intùs.
Regnat hìc virtus, domità iuuentæ
Indole, & faſtu domito, nec ira,
Nec calet motu ſubito, furitue
Lenta Senectus.

Huic

Huic ſapit pectus, ſtudio eruditum
Sedulo, atque vſu, ſerieque rerum,
Quas dies affert, renouatque ſemper
Fluxile tempus.
Plurimùm vixit Senior, diùque:
Vita dum lentè trahitur ſuperſtes,
Multa, viuendo, didicit, magiſtro
Tempore longo.
Inde ab exacto bene doctus æuo,
Præpeti curſu, facilique pennâ
Tranſilit præſens, adit & futura
Secula mente.
Creſcit hinc prudens animus, peritus
Vnicè rerum, documenta vitæ
Pulchra cui promptè ſapiens miniſtrat
Tempus vtrumque.
Sic togis aptus, bonus & ſeuero
Sic ſago; & pacem ſenior, crùentum
Et regit Martem potiore dextra,
Mitis, & audax.
Sceptra quæ tractat iuuenilis ardor;
Regibus ipſis propiùs minantur
Fata; nec fauſtè moderatur acris
Bella Iuuentus.
Nempè qui frænat populos, verendâ
Mente ſit canus, niueuſque mento:
Crine ſub flauo ſenuere ſæpè
Florida Regna.
Mater ò pulchri generoſa, ſalue:
Salue & annorum decus, & volantis
Pura pars æui, melior iuuentus,
Alma Senectus.

ABSALON E QVERCV pendens.

ODE XVI.

QVò perduellis, quò fugis, Abſalon?
Qui dente ſæuo, vipera dirior,
Mellita tentas immerentis
Viſcera dilacerare Patris.
Impunè credis ludere Numinis
Irata curſu præpete fulmina?
Fuga an volucris grande crimen
Eripiet Supero Tonanti?
Immane, quantùm falleris! allatrat
Vbique vindex lictor, & expedit
Vbique faſces: triſte nempè
Vndique ſupplicium minatur
Diſtrictus enſis. Nullus at ardeat
Minos ſeuera fronte, nec aſpera
Vltricis in ſontes timendam
Dextra vibret Nemeſis ſecurim;
Vacet tribunal Numinis: in reos
Iam nullus inſtet: vindicat attamen
Scelus ſceleſtum; incitatque
Mite nemus, tacitaſque quercus.
Quà non putares, ſcilicet, improbe,
Te punit arbor. Cerne ſatellitem,
Patriſque lictorem: manu te
Frondiferà tenuit, trucique,
Pendas vt alto ſtipite pendulus
Vltrice quercu, quas tua crimina, &
Diſcincta moribus iuuentus
Horrificas meruere pœnas.

Nec

Nec ſola quercus brachia mutuat
Robuſta mulctæ : tu quoque nam tui
Fati miniſter ; penſiliſque
Te tua cæſaries rebellem
Caſtigat. Auris ſparſa volantibus
Se nanque ramis implicat, aureo
Et fune te ſuſpendit, euri
Ludibrium reſonantis, atque
Victæ trophęum grande ſuperbiæ.
I nunc, reuulſum fronte Patris, tuo
Impone vertici coruſcum,
Quod meruit diadema crinis.
Te quercus alto conſtituit loco,
Vt iura dicas gentibus : aſpicis ?
Prætorianus ecce miles
Tergemino latus enſe munit :
Huc fœderatis viribus, Abſalon,
Contemptus almi Patris, & ambitus
Duxere ; vindex teque ſerò
Ipſe tuus monuit capillus.

In ea Senecæ verba.

Nullam ornamentum Principis faſtigio dignius, ac pulchrius, quam illa corona.

Ob Ciues Seruatos

AD FLAVIVM BLONDVM
ODE XVII.

QVid, Blonde, tandem dic age pulchrius;
Summoque Regum culmine dignius,
Quàm ſerta Dodonæa fronte
Incolumi meruiſſe Ciue?
I, Cæſar, armis agmina belliger
Perrumpe Thracum: nexibus æneis
Innecte colla barbarorum,
Parta manu & reuehas trophæa
Opima forti. I, ſcande volubili
Tarpeia curru culmina: marmore
Inſcribe culto Regna, & vrbes
Quas domuit generoſus ardor:
Non æquat vnàm laurea multiplex
Quercum: tuos & pectore nobili
Seruaſſe Ciues, hoc trophæum
Pulchrius, hic potior triumphus.
Ardet medullis hic amor inſitus,
Et proniorem Ciuibus indolem
Poſcit: recepit nempè tellus
Nos eadem peramica caris

Vlnis

Vlnis: eundem ducimus aerem:
Idemque Cælum contegit; aureis
Iiſdem ſub aſtris ſunt, & vno
Sole calent radiante Ciues.
Hinc ſempiternis Ciuica literis,
Famæque linguis digna ſuperſtitis
Curata ſtrenuè ſalus, &
Ille Pater, Patriæque Numen,
Qui nempè Ciuis Ciuibus excubat.
O' monſtra terræ, diraque gentium
Portenta, queis immane ſemper
Delicium laniare Ciues.
Quæ te niualis viſcera Caucaſi
Fudere terris, Sylla ſuperbior?
An te, Mari, feroxque Cinna,
Gangeticæ peperere tigres!
Neronianum pectus ab aſpera
Quercu ſeueram combibit indolem?
Leone peior an Leonis
Marmaricos tulit ille mores?
His hæc voluptas, ſanguine ciuico
Madere rictus: inſatiabile
Et guttur, & fauces profundas
Aſſidua recreare cœde.
Huic ſciſſa ceruix; & caput inclytum
Proſtare roſtris territus aſpicit
Ciuis; nec vno exhauſtus ictu
Ille foro iacet, ille templo.
Natare Tybris flumine non ſuo
Viſus cruento: Martia & vbere
Cruore ſemper purpuraſcens,
Roma ſuum geminare Tybrim.
Satis ſed iſtos garrula vindicat
Cenſura famæ; qui incolumes volunt,
Ciueſque ſeruarunt abundè,
Fama eadem celebrat diſerta.

NIMIVS

NIMIVS FOEMINARVM cultus.

ODE XVIII.

HVc ergo, Nurus ò bona,
Te formæ ſtudium duxit inutile,
Horas vt volucres teras,
Atque affixa vitro longiùs, integros
Pectendo ire ſinas dies?
Tanti eſt, Cæſariem comere fluxilem,
Et fulgere caput leue?
I, compone comas anxiùs; interim
Mores legibus ordinat
Nemo: vulgiuagà es mente ſolutior;
Compto vertice fulgido.
Illas at religas immeritò: aureus
Crinis non reus; indoles
Quæ inſanit, meritò nexibus illigas:
Vernent ora vt amabili
Flore, & puniceo murice purpurent,
Quantum temporis erogas?
Fronti ſtant niueæ non ſua lilia,
Vultu & non ſua ſtat roſa.
Quin vultus minio perlitus improbo,
Vultum non retinet ſuum,
Atque infecta latet iure modeſtia.
At tot nomina veſtium,
Tot pictæ chlamydes cuſpide Lydia;
Aurum in ſtamina tortile,
Flore & multiplici textile ſericum
Curto carmine proſequar?
Quando iniecta humeris ſat toga purior;

Pura & vellera ſunt ſatis
    Formæ; tu Pharia Thaide cultior;
Et Phrine velut Attica,
    Diſtinctis Phrygio pollice carbaſis
Ornas corpora diuite
    Luxu; ceu tunicis verſicoloribus
Iunonis volucrem velis,
    Et Thaumantiadem veſte laceſſere.
Bellè hinc pectora contegis,
    Fœdatam at vitijs detegis indolem.
Gemmas addis & Indicas,
    Forma vt luce noua pulchriùs emicet.
Proh! quæ concitat aureus
    Hic fulgor facili pectore feruida
Acris vota Cupidinis!
    Si neſcis, Scythicus hic lapis aureæ
Mentis dilapidat bona.
    Ergo tot niuei ferre volumina
Byſſi, & ſyrmate fœminas
    Vti barbarico; nec medicamine
Vno pingere floridos
    Vultus, eſt riguis fletibus omnium
Labes digna. Quid acriùs
    Mulctandum meritò murmure gentium!
Iam ſocco, & pede libero
    Scenas candidulę ſcandite Virgines:
Hoc nunc fœmineus pudor,
    Hoc oſtro facies oblita poſtulat,
Hoc & tænia multiplex,
    Hoc & palla fluens, & ſtola diſcolor.

FINIS.

INDEX

PINACOTHECHÆ
INDEX,

A

Aronis Sacerdotis Statua. pag. 192.
Abel à Caino occiditur. 121.
Abſalon è quercu pendens. 155, & 349.
Achillis ſtatua, 243. & 281.
Adam, & Eua in Paradiſo. 100.
Adam, Eua, Serpens 124.
Adam, & Eua poſt culpam. 106.
Adoratio Magorum. 109. & 186. & 187.
Adultera Euangelij. 97.
Aedes Barbarinæ. 304.
Aedes Burgheſianæ. 303.
Aedes Caetanæ. 305.
Aedes Farneſianæ. 303.
Aedes Mazarinæ in Quirinali. 304.
Aelia Moles. 296.
Aeneas Didonem deſerit, 80.

Aeneas à Troiano dilabitur incendio, Anchiſem portans. 81.
Aeneas ad Inferos deſcendit. 91.
Aeſculapij ſtatua. 217. Et in theatro Marcelli. ibid.
D. Agnetis ſtatua in eius templo. 182.
D. Agnes veſtes, & aurum pauperibus diſtribuens. 20.
D. Agnes mirè operitur nuda. 317. Eius robur. ibid. Deſcribitur eius coma. ibid.
D. Agnetis templum ab Innocentio Pont. X. extructum. 306.
Agrippinæ caput marmoreum. 227.
Aiacis, & Hectoris pugna. 65.
Albani tabulæ. 117. & 135. & 141.
Alexandri Algardi opera. 178. 247. & 28.
Alexandri Cardin. Montalti effigies. 112.
Alexandri Farneſij ſtatua. 209.
Alexander Macedo. 239.
Alexandri Pontificis VII. theatrum. 305.
Alexandri Veronenſis opus. 115.
D. Alexij tabula marmorea. 84. Eadem. ibid.
D. Ambroſij ora apes inſident. 223.
Amor à Mercurio diſcit legere. 52.
Amor aduerſus ciues à natura inſitus. 352.
Amphion citharam pulſans. 244.
Amphitheatrum Veſpaſiani. 291, Idem Ampgitheatrum. ibid.
Anacreontis ſtatua. 266.
Anchiſes ab Aenea eripitur flammis. 81.
B. Andreæ Auellini ſtatua. 195.
D. Andreæ Apoſtoli ſtatua. 177. & 194.
D. Andreas Apoſt. affigitur cruci. 20.
D. Andreæ à Valle templi exterior facies. 306.
Andreæ Conradi opus. 124.
Andreæ Sanſouini opus. 172.

Andreæ Sarti tabulæ. 96. 147.
Andreæ Sacchi opera. 38. 42. 46.
Andromeda alligata ſcopulo. 280.
Angelus Chriſto in horto apparet. 103.
Angelorum chori Tintoreti. 67. & 123.
Angeli duo Chriſtum mortuum ſuſtinent. 99.
Angelus Ioannis Baptiſtæ caput manu tenens. 23.
Angelus Diuam Virginem conſalutat. 105.
Angelus Tutelaris D. Franciſcæ Romanæ. 151.
Angelus Petrum è carcere educens. 119.
Angeli in ponte Aelio cum Dominicæ Paſſionis inſtrumentis. 178.
Angelus cum columna. ibid.
Angelus cum flagris. 179.
Angelus cum corona ſpinea. ibid.
Angelus cum Chriſti vultu. ibid.
Angelus cum veſte inconſutili, & talis; 180.
Angelus cum clauo. ibid.
Angelus cum ſpongia. ibid.
Angelus cum cruce. 181.
Angelus cum lancea. ibid.
Angelus cum titulo crucis. 181.
Anna Bolenia, & Henricus in eadem tabula. 148.
D. Annæ ſimulacrum. 172. & 173.
Annibalis Carraccij opus. 41.
Annibalis Carthaginenſis ſtatua. 233.
Antonieti Belgæ opus. 117.
Antonij Card Barbarinj effigies. 163.
Antonij Lombardi opus. 178.
Antonij caput marmoreum. 233.
Antonij Correggij opus. 98.
Antonij Ragij opus. 191.
Antonini Pij Thermæ. 297.
Apes in D. Ambroſij ore mellificant. 313.

Apollinis ſimulacrum. 165.
Apollo Marſyæ pellem detrahit. 58.
D. Apollonia Mutiani. 39.
Apoſtoli in horto increpantur à Chriſto. 87.
Araneus Apulus, vide Phalangium.
Archimedis ſtatua. 272.
Architæ Tarentini ſtatua. 273.
Arcus Conſtantini Magni. 295.
Arcus Septimij Seueri. 294.
Arcus Titi Cæſaris. 295.
Argonautæ. 110.
Argus à Mercurio obtruncatur. 122.
Ariſtotelis ſtatua. 271.
Armida à Rinaldo deſeritur. 77.
Aſpis Cleopatram mordet. 156.
Aſſueri Conuiuium.
D. Athanaſius profugus 321. In Patris ſepulcro latitat. 322. Et in ſicco puteo. ibid.
Athenarum Scholæ in palatio Vaticano. 12.
Athletarum par. 234.
Atropos. 279.
Attila D. Leoni paret. 178. Ab eo ſiſtitur. 11.
Attilij Reguli ſtatua. 223.
Aurora Guidonis Rheni. 79.
D. Auguſtini effigies. 88.
Auguſtini Caraccij opus. 105.
Auguſtini Cæſaris Mauſolèum. 296.
Auguſti ſtatua. 255.
Aulæ Fortuna. 112.

Bacchi

B

BAcchi ſtatua. 235.
Bacchus cum Sileno. 251.
Baiuli in Curriculo Romano ſtatua. 236.
Balthaſaris Senenſis opus. 111 & 43.
Baptiſmus Chriſti Domini. 141.
Baraccij opus. 134.
Barbarinorum ædes, 304.
D. Bartholomæo pellis detrahitur. 47.
Baſſani ſenioris opera. 69. 72. 107. 133.
Beliſarij ſtatua. 275.
D. Bernardus Deiparæ vberibus admouetur. 23.
Idem in hortis Quirinalibus. 29.
Bernardi Caſtelli opus. 21.
Bernini Hercules. 62. Eius opera. 174. 175.
177. 181. 187. 188. 189. 190. 203. 204. 206.
207. 209. 215.
Bethſabee cum Salomone. 28.
Bias Quintus Græciæ Sapiens. 253.
Bibliotheca Vaticana. 200.
Biliberti opera. 126. 135. 140.
Bramantis opera. 155. 156.
Bronzini opera. 64. 115.
Burgundi Syluarum proſpectus. 71.

C

D. CÆciliæ ſimulacrum. 184. Idem ſimulacrum. 186.
Cæſares duodecim. 254. & deinceps.

Cæſtij ſimulacrum. 296.
Caetanæ ædes. 305.
D. Caietanus Thienæus accipit à Deipara Infantem Deum 313.
D Caietanus Neapoli peſtilentiæ occurrit. 44.
D. Caietani Thienæi Statua. 194. Et Effigies in D. Mariæ Maioris Templo 313.
Cain in Abelem inſurgit. 121.
Caius Cæſar. 254.
Caligula Cæſar. 255.
Calliopes ſimulacrum. 245. & 263.
Camilla Volſcorum Regina. 246.
Camilli Romani Statua. 250.
Caput Ioannis Baptiſtæ. 131.
Caput marmoreum M. T.Ciceronis 268.
Caracij opera. 61. 66. 84. 102. 103. 104.
Carauagij opera. 21. 32. 33. 58. 63. 64. 87. 88. 89. 90. 91. 92.
D. Carolus Borromæus. 116.
Caroli Maratti tabulæ. 37. 40.
Carolus Quintus puer literas diſcit. 77.
Caroli Quinti ſimulacrum. 208. Et equeſtris effigies. 48.
Caroli Quinti vrna in Pantheo. 332.
D. Catharina Senenſis Rheni. 65. Eius ſtatua. 195.
D. Catharina V. & M. 230. Subharratur Chriſto. 35. Eius effigies. 157.
Cathedra D. Petri in mole ærea collocata. 124.
Catilinæ caput marmoreum, 229.
Cereris ſtatua. 210.
Charitas ad Vrbani Octaui ſepulcrum. 204.
Charitas cum tribus pueris. 106.
Checchi Saluiati opus 124.
Chilo, Tertius Græciæ Sapiens.
Chriſtinæ Suetiæ Reginæ effigies. 162. Eadem marmore expreſſa in Romano Capitolio. 210.

Chriſtus Dominus infans Ioannem complectitur. 107. Dormiens in ſinu Matris cum Ioanne. 113. Idem cum Matre, & Ioanne Baptiſta. 94. Idem cum Matre, & D. Ioſepho. 95. Eius Cunabula. 94. & 108. In ſinu Matris blanditur agno. 105. Baptiſmus. 73. & 191. & 84. & 141. & 103.

Chriſtus D. inter Doctores. 34. Turbas paſcit. 33. & 34. Ementes, & vendentes è templo eijcit. 116. Cum Samaritana ad puteum, 141. Apoſtolorum pedes lauat. 151.

Chriſtus D. in Gethſemani horto 103. Apoſtolos increpat. 87. Spinis coronatur. 88. & 102. Baiulat ſibi Crucem. 148. Affigitur Cruci. 135. Idem mortuus. 72. & 115. Idem exanimis inter duos Angelos. 133. & ab Angelis ſuſtentatus. 99. Idem mortuus, collachrymans Mater, & Angeli. 138. E Cruce tollitur, 35, & 41. Effertur ad tumulum. 32. Rediuiuus Magdalenæ apparet 54. In Cælum aſcenſus. 15. Statua. 170. & 171.

Ciceronis caput. 115.

Cincinnati Dictatoris caput marmoreum, 232.

Circumciſio Infantis Dei. 39.

Circus Agonalis. 293.

Circus Caracallæ. 294.

Circus Maximus. 293.

Cithariſtæ cuiuſdam effigies. 90.

Ciues ſeruare quàm laudabile. 312.

Ciuoli opus. 125.

Claudius Cæſar. 250.

Clementis Pont. X. effigies. 160.

Clementis Pont. IX. Statua. 206. Eiuſdem effigies. 159.

Clementis VIII. Statua. 203.

Clementis VII. Statua. 196.

Cleo-

Cleobolus Sextus Græciæ Sapiens. 354.
Cleopatram aſpis mordet. 156.
Cleopatra ad Vaticani fontem., 216. Eiuſdem caput marmoreum. ibid.
Clio. 264.
Cloelia Romana Tybrim tranat. 145.
Clotho vna ex Parcis. 279.
Cœdes Infantum Innocentum. 153.
Cœna Dominica. 117. & 81.
Collatini Statua. 224.
Columna Antoniana. 288. Eadem columna. ibid.
Columna Traiana. 287. Eadem columna. ibid.
Coma mirè excreſcens operit D. Agnetem. 317.
Comitiſſæ Matildæ ſtatua. 212.
Commodi Cæſaris caput. 224. Et effigies Titiani. 50.
Coniugium D. Virginis cum D. Ioſepho. 37.
Conſtantini Magni cum Maxentio pugna. 10.
Conſtantini Magni arcus. 295.
Conſtantini equeſtris ſtatua in Vaticano. 206. Eadèm ſtatua 207.
Continentia P. Scipionis Maioris. 56.
Conuiuium Aſſueri. 63.
Conuiuium Reginæ Vaſthi. 64.
Conuiuium Deorum. 76.
Coriolani ſtatua. 252.
Corneliæ Pompeij coniugis caput marmoreũ. 227
Coronà ob Ciues ſeruatos nihil pulchrius. 351.
Corregij tabulæ. 53. 54. 78. 85. 140. 157.
Coruus Eliam paſcit. 153.
Coſmi Magni Medicæi effigies 86.
Craſſi caput marmoreum. 229.
Cultus Fœminarum nimius vapulat. 353.
Cupido Carauagij. 91.
Cupido cum Venere. 95.
Curius Dentatus. 275.

Curtius

Curtius in voraginem præceps 145.
Cybele Deorum Mater. 180.
Cyri Ferri opus. 159.
Cyri Perſarum Regis caput in ſanguinem merſum 63. Eiuſdem caput marmoreum. 238.

D

DAcia capta, & Roma victrix. 237.
Damna impudicæ poeſis 336.
Dantes Alighertus 281.
Danae imbrem excipit aureum. 52.
Danielis Volaterani opera. 111. 115. 25.
Daphne fugiens. 248.
Dauid fundam rotans. 148.
Dauid Leonem diſcerpens. 121.
Dauid citharam ante Arcam pulſans. 17. Idem citharam pulſans Ioſephi Arpinatis. 26.
Dauid Goliathi caput amputat. 154. Eius ſtatua. 192.
Decij ſtatua. 242.
Deciorum ſtatuę 222.
Deipara cum Puero Ieſu ex marmore. 191.
Democriti Abderitæ ſtatua. 269.
Demoſthenis ſimulacrum. 268.
Deorum conuiuium. 76.
Deus Infans in Virginis gremio cum Orbis globulo. 101.
Diana venatrix. 246.
Diana Acteonem in ceruum mutat. 50.
Dido abeunte Aenea. 80.
Dido, ferro incumbens. 144.
Diocletiani Cæſaris thermæ. 297.
Dirce tauro alligata. 219.
Diues cum Lazaro. 72.

Domi-

Dominica Cœna Bonarotæ. 85.
D. Dominici extaſis, & D. Franciſci. 136.
D. Dominici ſtatua. 193.
Dominici Guidi opera. 181. 194. 206.
Dominici Zamperij, ſiue Dominichini opera. 1. 20. 21. 22. 27, 28. 37. 76. 159.
Domitianus Cæſar. 259.
Doſſi Ferrarienſes. 109. 110.
Draco Athenienſium Legislator. 278.
Ducis Venetorum effigies. 139.

E

ECce Homo Tintoreti. 53.
Ecce Homo Titiani. 82.
Ecce Homo. 127.
Ecce Homo cum D. Virgine, & Magdalena. 140.
Ecce Homo inter duos Angelos flentes, 135.
Effigies Ducis Venetorum. 139.
Effigies Religioſi Viri. 138.
Effigies Gregorij XV. 158. Vrbani Pont. Octaui. 159. Clementis Pont. IX. 159. Clementis Pont. X. 160. Mariannæ Hiſpaniarum Reginæ. 160 Margaritæ Auſtriacę Auguſtæ. 161. Tereſæ Auſtriacæ, Gallorum Reginæ. 161. Chriſtinæ, Suetiæ Reginæ. 62. Alexandri Card. Montalti. 162. Antonij Card. Barbarini. 163. Leonis Allatij. 163.
Elias à Coruo paſcitur. 153.
Elias in Cœlum raptus 147.
Eliſabethæ Anglorum Reginæ effigies. 148.
D. Eliſabetha Luſitanię Regina. 62.
Ementes, & vendentes eijciuntur è templo. 116.
D. Emerentianæ tabula marmorea. 184.
Ennij Poetæ ſtatua. 267.

Equi Quirinales Phidiæ, & Praxitelis. 215.
Erato ex nouem Muſis. 264.
Eſtheris Reginæ deliquium. 28.
Eua, & Adam in Paradiſo. 100. Iidem nudi, poſt culpam. 106.
Eua, & Adam, & ſerpens in eadem tabula. 124.
Euangeliſtæ quatuor ad tholi angulos in Templo D. Andreæ à Valle 22.
Euchariſticum Sacramentum 12.
S. Euchariſtiam quo ſtudio coleret Vencislaus Bohemiæ Rex. 219.
Europæ raptus. 59
D. Euſtachij tabula marmorea, 183. Eadem tabula. ibid.
Euterpe. 264.

F

FAbij Maximi caput marmoreum, 234.
Fabritius conſul. 231.
Fancelli opus. 179.
Farneſiorum horti Palatini. 302. Eorundem ædes, 303.
Fauſtæ, Conſtantini coniugis caput. 228.
D. Felicitatis cum filijs martyrium, & corona. 315.
Feſti ignes Romæ. 325.
Filię Loth Patrem inebriant. 140.
Filius Prodigus Baſſani: 68.
Flores elegantiſſimi Marij à floribus, 67.
Fluminum quatuor ſtatuæ ad fontem agonalem. 215.
Fœminarum nimius cultus mulctatur. 353.
Fons aquæ Felicis. 286.
Fons Irim pingens in hortis Vaticanis, 285.
Fons in ſummo Ianiculo, 283.

Fons

Fons ad viam Iuliam. 284.
Fons in Vaticani area. 284: 284.
Fortuna malis benefica, aduerſa bonis. 158.
Fortunæ in aulà improbitas. 112.
Forum Traiani 294.
Fornix in hortis Tranſtyberinis Farneſiorum. 18
Franciæ opus. 106.
D. Franciſca Romana cum tutelari Angelo. 151.
D. Franciſcæ Romanæ ſtatua. 188. & 189.
D. Franciſcus ſtigmatibus inſignitur. 125 & 157.
D. Franciſcus ab extaſi deficiens. 136. Eius ſtatua. 193. Et effigies. 85 & 115.
Franciſcus Petrarcha. 282.
Franciſci Rubens opus 184.
Franciſci Monchi opus 176.
Friderici Barocci opus. 32.
Fuga D. Athanaſij. 321.
Fuga Pueri Ieſu in Aegyptum. 110.
Fulmen turbam hominum terrens. 149.
Furini opus. 128.
Furius Camillus. 258.

G

Galatea Raphaelis 86.
Galba Cæſar. 252.
Ganymedis raptus. 142.
Gaudentij à Verallo opus. 114.
Georgetti opus. 180.
Georgioni opera 56. 96. 97.
Gherardi opus. 119.
Ghibbeſij Poetæ laureati effigies. 148. Eius laudes.
Gigantomachia. 149.

Gigantum in ſuperos bellum apud Barbarinos. 23.
Giſmundi Germani, eximij Pictoris effigies. 89.
Godefridus Bulionius ad Chriſti Domini Sepulcrum. 64.
Goliathus Hebræorum agmina laceſſit. 154.
Goliathi caput Dauid amputat. ibid.
Gratiarum ſimulacra. 220.
Gregorij Pontificis XV. effigies. 158.
Gregorij XIII. ſtatua in Capitolio. 201.
Guercini à Cento tabulæ. 142. 145. 111.
Guidonis Rheni tabulæ. 38. 47. 53 58. 59. 62, 65. 79. 118. 133. 137. 144.

H

HArpocrates, ſilentij Præſes. 261.
Hectoris, & Aiacis Monomachia. 65.
D. Helena Conſtantini mater. 211.
D. Helenæ ſimulacrum. 177.
Helenæ ſtatua. 246.
Henricus, & Anna Bolenia in eadem tabula. 148.
Henrici Quarti, Gallorum Regis æneum ſimulacrum. 208.
Herculis Ferrarienſis opus. 110.
Herculis Ferrati opera. 181. 182. 183. 185. 194.
Hercules apud Farneſios. 209.
Herculis pugna cum hydra in feſtis ignibus. 325.
Hercules hydram cōficit, Cortonenſis apud Barbarinos. 24.
Hercules Ioles amore captus. 40.

Herculis labores. 155.
Hercules mutilus in hortis Vaticanis. 217.
Hercules Bernini. 77.
Hercules Rubens. 61.
Herodias Ioannis caput manu tenens. 138. & 56.
D. Hieronymus hinc Crucifixum, hinc ſaxum tenens 111.
D. Hieronymi effigies. 88.
Homeri caput marmoreum. 230.
Horatij Flacci ſtatua, 270.
Horatius Curiatiorum victor. 223.
Horti, & domus Mœcenatis. 301.
Horti Palatini Farneſiorum. 302.
Horti Salluſtiani 302.
Hyacinthus Geminiani. 158.
Hydra cum Hercule congreditur in feſtis ignibus. 325.

I

IAcobi Albani Ghibbeſij effigies. 148. Idem dilaudatur. 339.
Iael Siſaram clauo figit. 46
Ieſus puer ambulare à Matre diſcit. 45.
Ieſus puer lignariam exercet. 45.
Ieſus infans cum Deipara, & D. Ioanne Baptiſta. 96.
Incendium Troiæ. 82.
Infantem Dominum Magi adorant. 47.
Ingreſſus Chriſti Domini Hieroſolymam 107.
Innocentij Decimi ſtatua. 205.
Innocentum Puerorum ſtrages. 153. & 109.
Inno-

Innocentij ab Imola opus 101.
Ioachimi Sandrach opus. 121.
Ioannis Baccii opus. 196.
D. Ioannes Baptiſta infans crucem arundineam manu tenet: 101.
D. Ioannes Baptiſta infans cum Chriſto infante. 107.
D. Ioannes Baptiſta in eremo. 66. Aquam è riuo haurit. 113. Chriſtum baptizat. 74. Idem cum Chriſto, & Deipara. 93.
D. Ioannes Baptiſta in eremo: 129: Nudus in deſerto. 118. Vox clamantis in deſerto: 68; Chriſtum D. baptizat. 84. Eius caput in manu Herodiadis. 56.
D. Ioannes Euangeliſta, 128.
Ioannis Lanfranchi tholus in D: Andreæ à Valle. 22. Aliæ eiuſdem tabulæ. 77. 116. 144.
Iole Herculem frangit. 150.
D. Ioſeph cum Deipara, & Ieſu infante. 95. Idem cum ijſdem. 98.
Ioſephi Arpinatis tabulæ: 68.148. 158. 19. 26. 29
Iotti Florentini nauis in Vaticano: 14.
D. Iſidorus agricola. 42: 62.
Ionas à facie Domini fugiens: 152.
Ionas à balena euomitur: ibid.
Iudas oſculo Chriſtum D. tradit: 122.
Iudicium finale Bonarotæ: 104,
Iudittha cum reciſo Holophernis capite: 27.
Iuliæ Auguſti filiæ caput marmoreum: 228.
Iulij Romani tabulæ: 8. 57; 79. 80. 82. 87.
Iunii Bruti ſtatua: 242.
Iuppiter in Danaes ſinum illabitur: 52.
Iuppiter fulminans: 241.
Iuſti Belgæ opus: 120.
D. Iuſtina Maſtyr: 99.
Iuſtitia ad Vrbani Pontificis ſepulcrum: 204.

Iuuenis fugiens in horto. 120.
Iuuentus rebus agendis non domi, non foris opportuna: 346.

L

LAbores Herculis: 155.
Lacheſis. 279.
Laocoon in hortis Vaticanis. 217.
D. Laurentius in Craticula: 36. & 61.
Laxamenta viribus recreandis. 340.
Lazarus ad menſam diuitis. 72:
Barus è ſepulcro rediuiuus. 131.
Leda cum Cycno: 261.
Leo Magnus Attilam ſiſtit. 11. & 177.
Leonis Allatii effigies. 163.
Leonis Decimi ſimulacrum. 196.
Leonis Vndecimi ſtatua. 202.
Lini poetæ ſimulacrum. 265.
Liuiæ Auguſtis Coniugis caput. 228.
Longini militis ſtatua. 177.
Loth à filiis inebriatur. 148.
Lucani ſimulacrum: 270.
Lucæ Cangiaſi tabulæ. 106. 108.
Lucæ Bataui opus; 114.
D. Lucæ penicillo expreſſa Maria Icon: 6: & 7.
Lucentis opera. 180. 179:
Lucretia Romana. 96. & 143.
Lucretii poetæ ſtatua: 270.
Luculli ſtatua. 277.
Ludouici Caraccii opera: 104. 105.
Ludouici Quarti decimi Gallorum Regis equeſtris ſtatua. 209.
Lycurgi ſtatua. 278.

Machabæo-

M

MAchabæorum Mater inter filiorum funera: 147.
Magi Chriſtum adorant: 109. 111: 186:
D. Maria Magdalena Titiani. 33, & 83. Eadem Carauagi. 89. Eadem Bronzini. 16. & 115. Eadem Saluatoris Roſæ: 75.
D. Maria Magdalena ad Chriſti D. ſepulcrum. 133
D. Maria Magdalena flens, & caput in Caluaemortuali reclinans: 119.
D. Mariæ Magdalenæ apparet Saluator rediuiuus. 54.
D. Maria Magdalena in deſerto: 124: & 137: Eadem cum Martha: 126:
Mariannæ Hiſpaniarum Reginæ effigies. 160.
Marii caput marmoreum. 231.
Marii trophæa. 225:
Marii à Floribus vaſa florum. 87:
Marci Antonii Columnæ ſtatua: 210.
Marci Aurelii equeſtris ſtatua: 207.
Marci Bruti ſtatua. 242.
Marci Senenſis opus. 107.
Marcus Curius Dentatus. 775.
Marci Tullij Ciceronis caput marmoreum: 268.
Margaritæ Auſtriacæ Auguſtæ effigies. 161.
Mars, & Venus in eadem tabula. 60.
Marſyæ detrahitur pellis ab Apolline. 58.
Martha, & Maria in eadem tabula. 126.
D. Martinæ ſtatua. 181.
Martyrium D. Felicitatis cum filijs. 315.
Mater Machabæorum inter filiorum neces. 147.

Matildæ Comitiſſæ ſtatua. 212.
D. Matthæus Apoſtolus in telonio. 21. Idem cum Angelo 87.
Mauſoleum Auguſti. 296.
Mazarinæ ædes. 296.
Mecœnatis ſimulacrum. 270.
Mecœnatis horti, & domus. 301.
Melchioris Melitenſis opus. 195.
Meleagri ſtatua. 225.
Melpomenes ſtatua. 263.
Mercurius legere amorem docet. 52.
Mercurius Argum obtruncat. 122.
Mercurij ſimulacrum. 243.
Meſſalina Claudij Cæſaris coniux. 232.
Michaelis Angeli Bonarotæ opera. 85. 122. 164. 209. 213. Eius caput marmoreum. 81.
Michael Angelus Pomarancius. 25.
D. Michael Archangelus, muſiuum Calandræ opus in Vaticano. 14.
Milo Crotoniates. 57.
Mineruæ ſimulacrum. 259.
Moles ærea D. Petri Cathedræ excitata. 174.
Morandi opera. 131. 132. 134.
Morelli opus. 179.
Moyſis ſtatua Bonarotæ. 213.
Mulier Samaritana. 68.
Mulus cum mulione Corregij. 78.
Muſarum chorus. 263.
Muſæi poetæ ſtatua. 266.
Mutiani opera. 38. 39. 31.
Mutius Scæuola, 249.

N

NAldini opus. 180.
Natales Chriſti D. Titiani. 94.
Naturæ rerum Parentis ſtatua. 262.
Nauis Iotti Florentini. 14.
Naumachia Auguſti. 298.
Nero Claudius Cæſar. 256.
Neronis caput marmoreum. 220.
Neronis thermæ. 298.
Neronis effigies Titiani. 49.
Neptuni ſimulacrum. 241.
Neruæ Cæſaris effigies. 49.
Nicolai Pont. Tertij ſtatua. 198.
Nicolai Poſſini opera. 120. 122.
Nox Iulij Romani. 80.

O

ORphei ſtatua. 244.
Otho Imperator. 252.
Ouidii Naſonis caput. 269.

P

PAlmæ ſenioris opera. 138. 154.
Pantheon Sanctis Martyribus Romæ dicatum. 299.
Pantheon Hiſpanorum Regum. 331.

Papyrij Prætextati ſtatua. 267.
Parcarum ſimulacra. 270.
Parmenſis opus. 99.
Parnaſſus in Vaticano. 13.
Paſquini ſtatua. 235.
Patres Latini, & Græci D. Petri Cathedram ſuſtentant. 175.
Pauli Pont. Quinti ſtatua. 202.
Pauli Pont. Quarti ſtatua. 198. 199. Eiuſdem quæ fuerat in Capitolio. ibid.
Pauli Pont. Tertij ſimularum. 197. Eiuſdem in Capitolio ibid.
D. Paulus Damaſci per muros demittitur in ſporta. 117.
D. Pauli manum adoritur vipera. 148.
D. Pauli ſtatua ærea ſupra Columnam Antonianam. 174.
Pauli Veronenſis opera. 47. 54. 55. 61. 99. 100. 135.
Peregrini Bononienſis opus. 112.
Periander Septimos Græciæ Sapiens. 254.
Perini del Vago opus. 113.
Petrus, & Ioannes vocantur à Domino. 21.
D. Petrus ab Angelo liberatur. 119.
D. Petrus naufragus Iotti Florentini in Vaticano. 14.
D. Petrus Cruci affigitur. 36.
D. Petri ſtatua ærea in Vaticano. 173. Altera ſupra Columnam Traianam. 174.
D. Petri Cathedra in mole ærea collata ab Alexandro VII. 194.
Petri Cortonenſis tabulæ. 7. 23. 24. 25.
Petri Pauli Rubens tabulæ. 56. 61. 53. 65. 126. 147. 149.
Petri Teſtæ Chriſtus mortuus. 72.
Phalangij morſus. 334. Curatur ſonu, & ſalta,

ſaltatione. ibid.
Phidiæ opus in Quirinali. 215.
Philippi Quarti vrna in Pantheo. 333.
Philippi Tertij vrna in Pantheo. ibid.
Philippi Secundi vrna in Pantheo. ibid.
Pictorum recentiorum partes. 4.
Picturę origo, & laudes. 1. & ſeq.
Pietatis Deipara Pauli Veronenſis. 54.
Pietatis ſtatua. 171.
B. Pii Pontificis Quinti ſtatua. 201. & in Capitolio. ibid.
Pilatus manus abluens. 46. 114.
Pittacus Quartus Græciæ Sapiens. 253.
Platonis ſtatua. 272.
Pluto Proſerpinam rapiens 58.
Poeſis impudica fugienda. 336.
Polydori opus. 30.
Polyhymnia. 265.
Pontificum ædes Quirinales. 303.
Portia Bruti Coniux. 143.
Porticus ſuperior Vaticani. 14.
Præſentatio D. Virginis, Balthaſaris Sen. 215. & 32.
Prælium Tempeſtæ. 69.
Praxitelis opus in Quirinali. 215.
Prodigus filius Baraccii. 68.
Profeta Vrbinatis in D. Auguſtini. 16.
Proſerpinæ raptus. 58.
Prudentiæ ſtatua ad Pauli Pontificis Tertij ſepulcrum. 197.
Puelluli colludentes in Quirinali templo Polyd. 29.
Puella cum calatho Titiani. 70.
Puer Ieſus in Aegyptum cum Deipara, & D. Ioſepho fugit. 134. Idem cum Matre ex marmore. 191.

Puer Ieſus ſupra nubem cum Deipara. 123.
Puer Ieſus, Deipara, & D. Ioſeph. 98.
Puer Ieſus Arpinatis 69.
Puer marmoreus ſpinam educit è pede. 249.
Pugilis ſimulacrum. 251.
Pugna Aiacis, & Hectoris. 65.
Pulcheria Auguſta. 274.
Pyramis Exquilina. 289.
Pyramis Flaminia. ibid.
Pyramis in foro Agonali. 290.
Pyramis in hortis Medicæis. 290.
Pyramis Laterana. 289.
Pyramis ad Marianum Templum ſupra Mineruam. 290.
Pyramis Vaticana. 288.

Q

QVercini Belgæ opus. 17.
Quercus Abſalonem detinet. 349.
Quintius Cincinnatus. 232.
Quintus Fabius Maximus. 234.
Quirinales Praxitelis, & Phidię equi. 215.
Quirinales Pontificum domus. 303.

R

RAphaelis Montislupi opus. 196.
Raphael Vrbinas à ſe pictus. 18.
Raphaelis Vrbinatis Tabulæ. 11. 12. 14. 15. 16. 18. 35. 43. 45. 80. 81. 86. 93. 139. 157.

Raptus

Raptus Europæ. 59.
Regis barbari deuicti ſtatua apud Cæſios. 236.
Regum Hiſpanorum Pantheon. 331.
Religioſi Viri effigies. 137.
Riberæ Hiſpani opera. 118. 119.
Roma victrix, & Dacia capta. 237.
Romanorum cum Sabinis pugna in aula Capitolij. 19.

S

SAbinorum raptus in aula Capitolii. 19.
Sabinorum cum Romanis prælium. 19. 135.
Salluſtiani horti. 301.
Saluator ad columnam. 41.
Saluatoris effigies apud Moniales Spiritus Sancti Romæ. 40.
Saluatoris Chriſti vultus Raphaelis. 93.
Saluatoris Roſæ opera. 35. 71. 75.
Samaritana cum Chriſto. 68. 141.
Sampſon leonem diſcerpit, 144.
Sampſon templi columnas concutiens. 74.
Sappho poetria. 266.
Saturnus filios deuorans. 239. 240.
Saul ſuæmet haſtę incumbens. 47.
Saulus cæleſti voce perculſus. 91.
Saulus baptizatur 25.
Schidonis à Parma opus. 101.
Scipionis Africani continentia. 56.
Scipionis Africani caput marmoreum. 238.
Scipionis Caetani opera. 113. 127.
Sculpturę laudes. 165. & deinceps.

D. Seba-

D. Sebaſtianus Guidonis Rheni. 53.
D. Sebaſtiani ſtatua. 190. 194.
Sebaſtiani Serlij effigies. 94.
Sebaſtiani à Plumbo opus. 41.
Senecæ morientis ſtatua. 247.
Senectutis bona. 345.
Senes Suſannam adoriuntur. 142.
Senex Cymbalum pulſans. 126.
Septimij Seueri arcus. 294.
Septem Græciæ ſapientes. 250. & ſeq.
Sepulcrum Cæſtij. 296.
Sergius Sulpicius Galba. 257.
Serici opificium. 328.
Serlij effigies. 54.
Serpens porrigens Adamo, & Euæ pomum. 124.
Serpentes ignei in Hebræos miſſi. Caſellij C.R. opus.
Sertorij ſtatua 225.
Sexti Tarquinij ſtatua. 267.
Sibylla Georgioni. 97.
Sibyllæ in Templo Pacis, Vrbinatis. 16. & 17.
Silenus Bacchi nutritius cum Baccho. 251.
Simon Magus ad Petri vocem præceps. 15.
Siſara à Iaele confoſſus 46.
Sixti Pontificis Quinti ſtatua. 200. Et in Capitolio. ibid.
Sol oriens Iulij Romani 79.
Solon Athenienſium Legislator. 235.
Statua D. Petri ex ære Iouis Capitolini. 173. Eiuſdem ſtatua ſupra Columnam Traianam. 174.
D. Stephanus diſputans Arpinatis. 35.
D. Stephanus Caraccij. Lapidibus petitur. 29. Cælum petit. ibid.
Stigmata D. Franciſci. 157.
Strages Innocentum, 169.

Suſanna à Senibus circumuenta. 142.
Syllæ caput marmoreum. 230.
Syluarum proſpectus. 61.

T

Tabulæ marmoreæ, in quibus Romanorum bella. 262.
Tarquinij Collatini ſtatua. 224.
Tempeſtæ prælium. 69.
Tereſæ Auſtriacæ, Gallorum Reginæ effigies. 161
D. Tereſæ ſtatua. 189.
Terpſicore. 264.
Thais. 92.
Thaletis ſtatua. 251.
Thalia. 263.
Theatrum Alexandri Pont. VII. 305.
Theatrum Marcelli. 292.
Theatrum Pompeij. 292.
Theodoſij Senioris ſtatua. 213.
Thermæ Antonianæ. 297.
Thermæ Diocletianæ. 297.
Thermæ Neronianæ. 298.
Tholus D. Andreæ à Valle. 22.
D. Thomas Apoſtolus ad Chriſti latus. 92.
Thomæ Mori effigies. 140.
Tintoreti opera. 45. 46. 53. 67. 68. 74. 123. 126 131.
Titiani opera. 23. 48. 49. 50. 52. 60. 70. 77. 82. 83. 86. 93. 94. 95. 134. 137. 138. 139. 142. 145.
Titus Cęſar. 258. Eius arcus. 295.
Titi Liuij ſtatua. 276.
Tomyris Cyri caput in ſanguinem mergit. 63.

Tor-

Torquatus Taſſus. 282.
Traiani effigies. 49.
Traiani Forum. 294. Et columna. 287.
Triton ad fontem. 283.
Triumphalis Chriſti D. ingreſſus Hieroſolymam. 107.
Troiæ incendium. 82.
Trophæa C. Martii. 225.
Tullia Tarquinii coniux. 250.
Turba hominum ad fulminis caſum attonita. 249.
Tyberius Cæſar. 255.

V

VAlentini Ducis Borgiæ effigies. 55.
Valèrij Coruini ſtatua. 722.
Van Holbenij opus. 146.
Vannij opus in Vaticano. 15.
Vaſthi Reginæ Conuiuium. 64.
Vaticanę ædes à Sixto Quinto extructæ. 299.
Vaticanà Bibliotheca. 300.
Velum D. Veronicæ. 44.
Venatio laudatur. 340.
Vncislai, Bohemiæ Regis in S. Euchariſtiam religio. 319.
Venus cum Cupidine Titiani. 95. & 83.
Venus, Adonis, canes. 125.
Venus, & Adonis venantur: ibid.
Venus, & Mars in eadem tabula. 60.
Venus ad ſpeculum. 51.
Vermis ſericàrius deſcribitur. 328.
Veronica cum Chriſti velo. 176.
Veſpaſianus Cæſar. 258.
Veſpaſiani amphitheatrum. 291.

Veſta,

Veſtalis Virginis ſtatua; 260.
Veſuuius erumpens. 3 4
Victorię Columnæ effigies. 114.
Vipera D. Pauli manum impetit. 148.
D. Virginis fuga in Aegyptum cum Puero Ieſu. 110.
D. Virgo ambulare docet Puerum Ieſum. 45.
D. Virgo Puerum Ieſum abluit. 84.
D. Virgo, Puer Ieſus, & D. Ieſus. 98.
D. Virgo, Chriſtus, & Ioannes Baptiſta. 93.
D. Virgo ſupra nubem cum Puero Ieſu. 123.
D. Virgo inuiſit Eliſabeth. 33. Eius ſine labe conceptus. 40. Eius partus. 38. Præſentatur in templo. 34. Cum Chriſto Ieſu mortuo. 138. Eadem flens. 134. Eius tranſitus. 38. & 132. Ad Crucem exanimis. 104. In Cœlum vehitur. 120. & 37.
D. Virginis ſtatua ærea ſupra columnam. 172. Eius effigies in Exquilijs. 6. & in templo à Populo. 7.
Vitellius Cæſar. 257.
Vlyſſis ſtatua. 244.
Vranie. 265.
Vrbani Pontificis Octaui effigies. 159. Eiuſdem ſtatua. 203.
Vulcani, & Cyclopum antrum. 24.

I N D E X.

Z

ZEnobia Palminerorum Regina. 212.
Zoroaſter Bactrianorum Rex. 271.

F I N I S.